

5845

LIBER DE ANIMA RECOGNITVS AB autore,

PHILIP. MELANTH.

VVITEBERGAE
EXCVDEBANT HAEREDES
PETRI SEITZII.
* *
*

1554.

philip. in physicis.

Opificium hominis, in quo singulae partes ad certas functiones mira arte conditae sunt, est certiss. et illustriss. testimonium huius sa-
na exstitisse non nascendo casu (in

CLARISSIMI VIRI HIE-
RONYMI BOMGARTNERI SAPI-
entia & uirtute præstantis filio, Hiero-
nymo Bomgartnero, Philippus
Melanthon. S. D.

TRVMQVE PRAE-
dixit uox diuina, In hac languida & delira mun-di senecta, & fore maio-res generis humani con-fusiones, quàm fuerunt antea, Et tamen filium Dei *Dominum nostrum* Iesum *Christum* crucifi-*xum pro nobis & resuscitatum, æternam* Eccle-*siam sibi etiam inter imperiorum ruinas collectu-rum esse, qui quidem hac spe uult nos doctrinæ studia colere, & promittit Ecclesijs hospitia.* Hac *prædictione diuina confirmati præparemus ani-mos, ut tristissimas imperiorum dilacerationes, & crebros tumultus* Panicos *sapienter feramus, & tamen speremus* Ecclesiam *non interituram esse, & hac erecti consolatione studia doctrinæ cola-mus, & suo quisq; loco communi societati seruiat.*

Hæc cogitatio & senes retinet in gubernatio-ne, ne desperatione in tam sæuis tempestatibus tan-quam

IN=03001391 9

quam remos abijciant, & excitare iuniores debet, ut doctrinam Ecclesiæ & communi uitæ necessariam eo discant alacrius, quia uox diuina pollicetur nobis, hos labores non fore irritos. Quare & Paulus inquit: Non erit inanis labor uester in Domino, id est, Deo curæ erit, ut & Ecclesias uobis ac nidos aliquos seruet, & ut labores uestri in docendo, gubernando, & discendo sint fausti & salutares uobis & alijs.

His diuinis commonefactionibus sæpè iam confirmari patrem tuum in difficilimis laboribus audis, quas quidem te quoq; cogitare decet, ut ad discendam doctrinam uitæ necessariam te excuscites. Rursus autem congessi doctrinam, quam in Ecclesia de distributione potentiarum animæ extare necesse est, quam cum antea ederem, ad patrem tuum misi, cui his libellis nihil opus erat, sed extare testimonium uolui & ipsius erga me perpetuæ beneuolentiæ, & mei erga ipsum amoris. Nunc ad te hoc munus transfero, quia ad illas priores causas hæc accedit, quòd cum tua ætas iam idonea sit ad huius doctrinæ initia discenda, quam hîc complexus sum: & adhortari te uolui hoc munere misso, ut ad philosophiæ initia procedas: & in hac parte uiam tibi & alijs, quantum ego quidem possum, monstrare studeo.

Causa dedicationis huius libelli.

Nec uerò ignoro multos deridere totum hoc

genus physicæ doctrinæ, qui dicunt, Titulos magnam sapientiam polliceri, de Deo, de mundo, de anima, de causis mutationum in omnibus corporibus, postea introspectis libris, tantum inueniri puerilia initia. Fateor omnino hanc doctrinam ualde exiguam & angustam esse, & sapientiæ diuinæ umbras tantum procul ostendere. Sed nos qui diuinis patefactionibus adsentimur, & secuturam esse uitam perpetuam post hanc mortalem uitam credimus, cogitemus duas nobis Academias, & quidem hoc ordine conditas esse, æternã alteram, in qua Deus erit omnia in omnibus, & suam nobis sapientiam & iusticiam communicabit, ubi coram ipsum cernemus, & in filio λόγῳ conspiciemus non solum ideas & causas opificij mundi, sed etiam admirandam copulationem diuinæ naturæ & humanæ, & consilium restitutionis generis humani. Ibi conditorem intuentes, & causas rerum considerantes, naturam penitus introspiciemus. Sed ita & non aliter patet aditus ad illam Dei consuetudinem, si prius in hac mortali uita, eius doctrinæ elementa inchoauerimus, quam nobis tradidit, in qua nobis quàm multa proponit incomprehensibilia? quæ tamen in hac nostra imbecillitate uult considerari. Quæ angelorum aut hominum sapientia perspicit, quale sit fœdus, ut ita dicam, & qualis coniunctio naturæ diuinæ & humã-

humanæ in mediatore? Et tamen de hac tanta re nobis ſæpiſſimè concionatur uox diuina. Imo in ſummis noſtris doloribus uult nos cogitatione huius fœderis præcipuè erigi. Tota hac natura humana funditus periſſet, niſi maſſam noſtri generis filius Dei ſibi copulaſſet, in qua nos miſeros, quaſi de humeris ſuis pendentes, geſtat & ſeruat. Ideo non extingueris, ideo nõ deletur totum genus humanum, quia filius Dei maſſam illam ſibi adiunxit. Norunt piæ mentes hanc uerã, & ſummam eſſe conſolationem. Et cauſas multas illius mirandi fœderis cogitant, etiamſi neq; cauſas omnes conſilij diuini, neq; modum comprehendunt, quo facta eſt hæc miranda copulatio.

Quanquam igitur nec Animæ naturam introſpicimus, nec mirandas eius actiones, formationem imaginum in cogitatione, raciocinationes, memoriam, recordationes, electiones, impulſiones cordis, quæ fiunt à cogitationibus, penitus in hac uita intelligimus, tamen inchoanda eſt hæc doctrina. Et inchoatio ad intelligendam Eccleſiæ doctrinam, & ad uitæ gubernationem neceſſaria eſt, ut poſtea ſæpè in toto libro oſtendimus. Ac multa diſcuntur uitæ neceſſaria, etiamſi ars tota, quam in fabricatione Deus adhibuit, perueſtigari non poteſt. Erit alia Academia in cœleſti

consuetudine, ubi hæc sapientia in omni æternitate discenda erit. Nunc tamen inchoatio necessaria est.

Nec ulla res est in hoc toto mundi opificio, in qua tam multa de Deo illustria testimonia, & tam perspicuæ commonefactiones nobis propositæ sint, sicut in anima hominis. In hac numeri, noticia ordinis, raciocinatio, æternum & immotum discrimen honestorum & turpium, ostendunt, hanc naturam rerum non casu ex Democriti Atomis confluxisse, sed ab æterna mente architectatrice conditam esse. Docet igitur anima hominis, esse Deum conditorem rerum, & esse substantiam intelligentem, Et docet qualis sit, uidelicet qualis est in nobis lex immota, & testatur iustum ac uindicem esse, quia sanxit ordinem in nobis, qui extingui non potest, ut sæui & horrendi cruciatus in corde comitentur scelera. Tam multiplex sapientia lucet in animæ consideratione, quæ quidem fit illustrior, cum potentiarum ordinem & actiones attentius aspicimus. Sed de utilitatibus sæpè in libro dicitur, quanquam nulla tanta est eloquentia cuiusquam, quæ magnitudinem utilitatum satis exponere possit, quas adfert, non dico perfecta animæ cognitio, sed hæc inchoatio, quæ procul eam aspicit.

Recito

Recito autem doctrinam in Academijs usitatam, & confero Ecclesiæ sententias. Non gigno paradoxa aut monstrosas opiniones, nec ita fremitu Baltici littoris, quanquam horribili, tremefactus & consternatus sum, ut turpe esse ducam, circumspicere, quæ sint receptæ à sanioribus sententiæ, & considerare, qualis sit naturæ peruersitas in ijs, qui uel ambitione uel malicia corrumpunt rectè tradita, & fingunt nouas et monstrosas opiniones, & uerecundè sequi cõsensum saniorum. Hunc uerò ita sequi studeo, ut etiam uelim honestos & doctos uiros ubiq; censores & emendatores esse omnium meorum scriptorum, præcipuè uerò tuum patrem, & Ioachimum Camerarium. Quale fuerit opinionum chaos ante annos triginta, cum primum lerna Monachorum, ut ita dicam, purgata est, multi norunt. In tanta uarietate uoluisse me quærere simplices & rectas sententias, optima conscientia adfirmo. Nec tamen mirum est, me uel alios, in tanta caligine alicubi lapsos esse, præsertim cum uelut in incendio oppidi alicuius diuersis locis simul plura ædificia inflammantur, de multis rebus maximis & grauissimis controuersiæ simul motæ sint. Et uerissimum est quod sapiens poëta dixit. Οὐδεὶς ἀνθρώπων ὅστις πάντα σοφός. Vult autem Deus in Ecclesia iudicia esse, quare nunquam Ecclesiarum nostra-

rum iudicia defugi, ac ne uiuere quidem uelim Timonico more seiunctus ab eruditis & Deum timentibus. Quare semper adfirmaui, me sententias eruditorum libenter auditurum & secuturum esse, atq; utinam cum pluribus sæpe de doctrina colloqui possem.

Memini quendam, qui se dicebat Stoicum esse uelle, idq; tantum φιλονεικία de se prædicabat, ut ostenderet, se philosophiam profiteri meæ contrariam, ideoq; sua quædam non paradoxa tantum, sed etiam absurda dicta, sibi ualdè placens in aula quoq; spargebat, qui etsi natura fatuus erat ἠὲ μωρόκαη, tamen aliquantisper excitauit, ut græci dicunt κροτοθόρυβον satis turbulentum. Sæpè autem iam comperi, uerum esse uetus illud dictum, quod ab Aeschylo citatur:

Ἡ δ' ἐμωρία
Μάλις' ἀδελφή ἐστι πονηρίας ἔφυ.

Propter tales censores non iudicaui deserendos esse hos labores, quos existimabam discentibus honestas artes prodesse.

Vt autem de hoc libello dicam. Existimo ad Academiarum consuetudinem, rectè institutam esse formam huius operis, & plæraq; rectè tradita esse non dubito. Intexui autem de præcipuis membris humani corporis descriptiones qualescunq;. Nam discerni potentiæ animæ ne possunt quidem,

nisi

nisi earum domicilia, seu machinæ in corpore hominis aliquo modo ostendantur. Quanta est enim insulsitas, si quis dicat de motu locali, nec discernat Neruos, à uenis & arterijs? Deniq; cum in tota uita, ad ualetudinem tuendam, & ad multas actiones in corpore & in moribus iudicandas, utile sit humani corporis fabricationem aliquo modo nosse, hæc initia statim primæ ætati, præsertim in his physicis elementis proponenda esse, etiam alij scriptores ante me iudicauerunt. Etsi igitur doctrina Anatomica in his libellis integra comprehendi non potest, nec subito adolescentia exilißimarum partium descriptionibus oneranda est, tamen præcipuas partes, & quidem grandiores omnibus hominibus notas esse ualde prodest. Secutus sum autem scriptores optimos Galenum, Vesalium, & Leonartum Fuchsium, & adhibui amicos interdum Iacobum Milichium, & Peucerum generum meum, sed quia nec uacuo animo huic uni operi intentus fui, & peregrinationes nostræ sæpe hanc telam, quam contexere malebam, interrumperunt, alicubi desiderari diligentia poterit. Oro igitur eos qui alijs hæc initia enarrabunt, ut errata candidè emendent, præsertim cum extent iam picturæ Vesalij & luculentæ descriptiones, de quibus sic inquit Paulus Eberus:

Quantum nocte alias stellas cum lumine fratris

Orbem compleuit uincere Luna ſolet.
Veſalij tantum reliquis liber anteit unus,
Corpora qui qua ſint condita ab arte, docent.

Quanquam autem patris tui, Hieronyme, iudicio permitto, an hunc meum librum, aut alios tibi proponi uelit, tamen de re ipſa ſcio iudicium eius cum meo congruere. Scit ueriſſimum eſſe quod ſcripſit ſapiens hiſtoricus Thucydides, κρά-τιστον εἶναι ἐν ἀναγκαιοτάτοις παιδεύε-σθαι, hoc eſt, diſcenda eſſe maximè neceſſaria. Vt in tota uita, præcipua eſt ſapientia, neceſſaria face-re, ita & in ſtudijs prima ſit cura, ut neceſſaria diſcantur. Ac uerè ſtatuit pater tuus, neceſſariã eſſe homini cognitionem doctrimæ, quam Deus illuſtribus teſtimonijs Eccleſiæ tradidit, Et ad hanc iudicat has deſcriptiones potentiarum animæ, præparationem quandam eſſe. Adfert hæc doctrina lucem & legibus, quibus mores hominum regendi ſunt. Oſtendit enim, quæ partes quomodo frenari poßint. Non ſunt igitur hæc in uita aut doctrinis πάρεργα, ἀλλὰ πρὸ ἔργου καὶ πρὸ ἐσθῆτος ad intelligendam Eccleſiæ doctrinam, & ad diſciplinam ac morum gnbernationem. Diſces igitur Hieronyme de iudicio patris tui uiri ſapientis & eruditi tales aliquas deſcriptiones partium hominis. Ac non modo in his ſtudijs, ſed etiam in cæteris actionibus intuere patris exempla. Vt enim in

mechanicis

mechanicis artibus nemo fit artifex, nisi exempla sui generis assiduè aspiciens, imitari ea conetur, ita in formando iudicio de doctrinis et in uitæ regendæ consilijs omnino multum prodest eligere certa & probata exempla, quæ sequi & effingere uelis. Tibi uero Deus domestica exempla digna laude proposuit patrem & patruum, quorum tibi præcipuè similitudo expetenda est. Oro autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, qui uerè est custos Ecclesiæ suæ, & dixit, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, ut te & totam Ecclesiam uestram domesticam protegat & gubernet. Bene uale. Vuitebergæ. Calendis Nouembris. Anni M. D. L II.

Ioan. 10.

* *
*

Iohannis

IOHANNIS STIGELII
ELEGIA DE VTILITATE DOctrinæ, de fabricatione humani corporis.

ANnua designat redeuntes meta calendas,
Et noua sperato lux abit orta die,
Sol toties pallens, bis dena per astra relapsus,
Lucifluum renouat pulcher ab axe iubar.
Quis putet? hunc etiam uiui transegimus annum,
Vndiq; dum sæuæ nos petiere minæ.
Et uelut ingenti scrutans in flumine uictum
Excutit illapsas tergore mergus aquas:
Sic etiam solo mordaces pectore casus
Turba DEO fidens ferre coacta, tulit.
Quis tamen hanc texit? quis uires addidit ægræ?
Omnia qui forti sub pede CHRistus habet.
Ille gerit sceptrum duro insuperabile ferro,
Quod uis inuidiæ frangere nulla potest.
Hoc semel exigua leuiter cum concitat aura,
Ad nutum Domini terra poluſq; tremunt.
Ille premit furias, & bella exanguia reddit,
Et sibi fidentes hîc & ubiq; tegit.
Huic igitur dicas præconia grata iuuentus,
Quæ sacra Pegasei flumina fontis amas,
Huic ardente tuæ uigilent sudore Camenæ,
Huic studium ingenij seruiat omne tui.

Ergo

Ergo hominis quando cauſſas, fineſq; probandos
Scrutati ex hominum conditione ſumus.
Iam uocat ad pulchros nos fabrica corporis artus,
Quæ mira autorem monſtrat in arte Deum.
Nam uelut æquali diſpenſans fœdere mundum,
Non aliquod temerè condidit autor opus,
Corporis humani poſitas ſic ordine partes,
Iuſticiæ uoluit ſigna referre ſuæ.
Alta DEI ſedes ſpacioſi machina cœli,
Præſentis ſeriem numinis intus habet.
Aureus in medio Sol aſtra ſequentia ducens,
Prolifica rerum ſemina luce, fouet.
Ima ſed errantum mater fœcunda uaporum,
Subiecto tellus aëre fulta iacet,
Inde niues abeunt, & ros, & uentus, & imber,
Vt reditu foueant cuncta iuuentq; ſuo:
Omnia mens intus late diuina gubernat,
Et ſapiens cura firmat, & arte iuuat,
Sic etiam humano diuerſa in corpore membra
Vnanimi ſtruxit fœdere iuncta DEVS.
Nam quia in extremas à puncto corporis oras
Effigiem cœli circulus actus habet.
Totius arx cerebrum eſt, rorante ſalubre uapore
Motibus & teneris ſenſibus, unde uia eſt.
Cor tenet in medio uitalis regna caloris,
Et cerebro officium dulce iuuante facit.

Inde

Inde abiens tenero exhalans è ſanguine flamma,
Singula uiuifico membra calore mouet.
Quæ ſimul ac cerebri radios trans fudit in arcem,
Lucida cœleſti redditur aura nota.
Hæc agitat uigiles cerebri per nubila ſenſus,
Acribus & neruis percita membra mouet.
At ſimilis terræ, denſis creberrima fumis,
Abdita ſub riguo uentre culina iacet.
Huius opus, molles iecoris per uiſcera ſuccos
Fundere, & aßiduo membra fouere cibo.
Cætera quid memorem? uigiles ſub fronte miniſtri
Excubias oculi, limen ad arcis agunt.
Libera compoſitum defendunt brachia corpus,
Congruit & uarijs artibus apta manus.
Hæc mens proſpiciens, mentiſq; miniſtra uoluntas
Omnia, conſilium quo moderentur, habent.
Heu miſeros, mundum quicunq; coiſſe putarunt,
Materiæ ex atomis triſte fluentis opus.
Ite procul caſus, dubiæq; abſcedite ſortes,
Præſentem hæc monſtrat dulcis imago Deum.
Condidit æterno qui prouidus omnia uerbo,
Prouidus hic memori condita mente regit.
Ille malis tribuit pœnas, & præmia iuſtis,
Et rerum certas ordinat ipſe uices.
Quid quod ad arcendos facit hæc ſpeculatio mor-
Qui bene ſe nouit, ſanior eſſe poteſt. (bos?

Corporis

Corporis ignari, mortem inter prandia cœnant,
Crapulaq; eſt homines quæ uetat eſſe ſenes.
Hoc ſitus, hoc ordo, præclaraq; munia monſtrant,
Iuncta quibus toto corpore membra uides.
Nam quia uentriculi calor abſorbetur, aduſtum
Sanguinis haud multum gignit alentis epar.
Cor quoq; defectu iecoris marcere neceſſe eſt,
Integra nec cerebro uis ſupereſſe poteſt.
Inde fit, ut multos onerans incuria perdat,
Et gula plus noxæ quàm celer enſis habet.
Conuenit & uitæ, moreſq; illuſtrat, & æſtus
Pectoris enormi non ſinit ire uia:
Hinc monitus, ſtrictum Pelides retrahit enſem,
In clades temerè cum Catilina ruat.
Sponte faces animi generoſas obruit Aiax,
Inuidiæ pectus triſte dolore grauans.
Vide obtuſa malis temerè mens moribus errat,
Triſtis & accelerat fata ſuprema furor.
At quia ſentinam nouit ſub corde malorum,
Et rapidum uigili pectore frenat equum,
Integer & compos generoſæ mentis Vlyſſes,
Omne animi rectis moribus ornat opus.
Qui uidet alterno defungi membra labore,
Dum peragunt certis mutua iuſſa locis,
Nec uacat officijs, nec uitam moribus ornat,
Turpiter ille hominis nomen inane gerit.

Corporis

Corporis ergo tui quæ ſit ſtructura Iuuentus
Diſcere, non minimum noueris eſſe decus.
Huic ſtudio poſthac operam tribuemus, & horas,
Dum licet, & Muſas umbra Salæa fouet.
Interea quatiat dirum Bellona flagellum,
Huic quoq; diuina ſtat ſua meta manu.
Tu modo funde preces, & laxos contrahe mores,
In medio poteris turbine pace frui.
CHRISTE tua pariter, pariter uirtute parentis,
Omnipotens, uiuo numine Chriſte DEVS.
Mitis ades miſeris, duro ſuccurre labori,
Et dubiæ præſens dirige nauis iter.
Funeſtis odijs feruentia pectora Regum
Flecte, ſalutaris fac bona pacis ament.
Atq; tui ſplendens alas extende fauoris,
Vt bona te mentes uera probante colant,
Dum loquor, exaudit, quẽ terra atq; aſtra uerẽtur,
Proſpera iam cœptis aura ſecundat iter.

FINIS.

LIBER DE ANIMA.

Quid continet hæc pars Philoſophiæ, cui titulus eſt De Anima?



T DE AENEA INtuente ſeriem Romanæ hiſtoriæ in Clypeo ſculptam Virgilius inquit, Miratur, rerumq; ignarus imagine gaudet: ita nos, etſi nec humanæ animæ ſubſtantiam oculis cernimus, nec mirandas actiones penitus intelligimus, tamen imagine lætemur. Etſi enim procul & per caliginem hæc miranda Dei opera aſpicimus, tamen hæc quantulacunq; cognitio, non eſt fallax umbra, ſed uerè oſtendit & eſſe humanas animas, & teſtimonium eas de Deo certiſſimum eſſe. Nam cum numerorum ordinem, & ſeptum illud æternum diſcernens honeſta & turpia, & uolucres in cogitatione motus, & memoriæ capacitatem pene

I. immensam considerauimus, conuincimur ut fateri cogamur, hanc naturam non extitisse casu, sed mentem aliam architectatricem ac opificem esse, quæ in hac utcunq; suam similitudinem expressit, sicut & antiquitas dixit: Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua. Et inter Sibyllinos uersus hic recitatur, εἰκὼμ ἐς᾽ ἄνθρωπον ἐμήν, λόγου χρὴ ὄρθον ἔχοντα.

Ac proposuit nobis conditor hoc opus, ut, quantum fieri potest, aspiciamus, et ipsius in nobis uestigia contemplemur. Non igitur hæc doctrina negligenda est. Et pars illa quæ recitat organa & qualitates, alterationes, effectiones, & læsiones organorum, minus est obscura, et amplissimam doctrinam physicam continet. Hic enim exempla cernuntur regularum, quæ supra de qualitatibus & earum effectionibus traditæ sunt. Estq; ad regendam ac tuendam ualetudinem hæc pars magnopere necessaria.

II. Deinde consideratio perpetuarum in mente noticiarum, ut numerorum, et earum, quæ uocantur κοιναὶ ἔννοιαι, lumen est sapientiæ discernentis certas & incertas noticias, & fons demonstrationum in omnibus artibus.

III. Præterea causæ uirtutum, & discrimina uirtutum & uiciorum sine hac doctrina conspici nequaquam

IIII. c. ornamentis.

quaquam possunt. Itaq; cum cæteræ artes multum sumunt ab hac doctrina, tum uerò tota philosophia moralis uelut ex hac scaturigine manat. Vera est igitur laus huius doctrinæ apud Aristotelem, qui in præfatione libri de Anima inquit, δοκεῖ δὲ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι. Nec uerò dubium est, plurimas utilitates esse huius doctrinæ in tota uita, & in omnibus artibus.

Quàm uerò dulcis & iucunda sit hæc cognitio mediocribus naturis, inter discendum omnes experimur. Talis est hominum natura, ut aspectio rerum pulchrarum per sese delectet, ut iuuat intueri formas humanorum corporum, quarum recta est symmetria, & bonus color, iuuat intueri stellas, flores, herbas, gemmas, ædificia arte extructa, picturas, & alia concinna opera. Cur igitur non sit uoluptati, mirandas actiones in homine, & ordinem in singulis partibus considerare, præsertim cum & hæc consideratio uitæ utilissima sit in tuenda ualetudine, in gubernandis moribus, & in artibus, & multis alijs negocijs iudicandis? Et augeat uoluptatem utilitas.

Præterea in Ecclesia nequaquam carere hac doctrina possumus. Quare & Gregorius Nissenus Basilij frater librum de Anima scripsit, qui adhuc

extat, in quo nostro more potentias discernit, & earum officia distribuit, quia ita iudicauit, multas materias in Ecclesia non habere lucem, sine hac qualicunq; distinctione potentiarum animæ.

Discrimen Legis & Euangelij.

Necesse est omnibus in conspectu esse discrimen Legis & Euangelij. Hic si quis recte didicit hanc puerilem doctrinã, scit Legem noticias esse nobiscum nascentes, Sicut aliarum artium principia & demonstrationes. Sed Euangelium dissimilimam uocem esse, ac nequaquam nobiscum nasci, sed singulari reuelatione à Deo illustribus testimonijs patefactam esse. Postea rursus discerni necesse est, Noticias & appetitiones. Sunt in mente noticiæ ueræ, rectæ, æternæ & immotæ. Et tamen adpetitiones contrariæ sunt. Quare Paulus inquit, homines ueritatem Dei, id est, ueras notitias diuinitus nobis insitas, in iniusticia captiuas detinere. De talibus sententijs ne populus quidem doceri potest, nisi hinc sumantur potentiarum distinctiones.

Rom. 1.

Sapientes apud Ethnicos habentur, qui scientias de deo & dedi, scriptores hominum & Turpilium, Sodalis, sentiã in vis & vel in illo & vel langui, Iuuenal. Hoc in Christiano, non in iniusticia captiua dicitur.

Cum de labe originis dicitur, necesse est recitari, quæ sint in singulis potentijs uulnera, & quæ bona sint reliqua in hac misera natura. Manent utcunq; noticiæ legis, quia Deus uult se agnosci, uult peccatum intelligi, & accusari, uult etiam re-

gi discã

gi disciplinam. Manet igitur & libertas uolun-
tatis in regenda loco motiua, quæ est uelut mini-
stra disciplinæ. Hæc doctrina adeo necessaria est,
ut nulla unquam ætas ea carere potuerit. Nec du-
bium est primum parentem suis natis copiose eam
tradidisse in enarratione dicti: Sub te erit adpeti-
tus. Et passim intexuerunt eam poëtæ suis scriptis,
ut manifestum est, Homerum, cum pingit à Palla-
de retrahi Achillem stringentem gladium, distin-
guere appetitionem, & Rationem, quæ cohercet
loco motiuam. Et Hesiodi Prometheus ratio est.
Epimetheus stolidus frater, sensus & potentia ap-
petens. Obiectum uerò blandiens Pandora. Nec
Bellerophontes Pegasum regere potuit, donec Pal-
las aureum frenum equo iniecit, id est, donec con-
silio uehementes animi motus rexit.

Sunt & aliæ multæ materiæ in Ecclesia, in qui-
bus enarrandis adiuuamur his distinctionibus po-
tentiarum animæ, ut cum dicimus de imagine Dei
in homine, cum uocabula enarramus, quibus doctri
na cœlestis discernit Filium & Spiritum sanctum.
Vetustas græca & latina scripsit Filium Dei dici
λόγον, quia cogitatione nascitur, cum æternus
Pater, sese intuens gignit imaginem suam. Cogita-
tione enim formari imagines in nobis quoq; sci-
mus. Et cum nostris uocabulis Deus utitur, signi-

ficare hoc uoluit, nasci Filium cogitatione.

Præterea spiritus uitales in homine nascuntur in corde, & uerè sunt flammæ, quæ in omnium adfectuũ incendijs, in lætitia, dolore, amore, odio, ira, & alijs, sparguntur. Et cum motibus uoluntatis non simulatis hæ flammæ in corde congruunt. Ex hac umbra utcunq; cogitamus de nomine Spiritus sancti, & discimus ei hanc adpellationem in diuinis literis tribui, quia sit agitator, et quasi flamma, à uoluntate Patris & Filij procedens, qua diuinitas immensa bonitate nos sibi copulat, & nos lætitia cõplet, sicut effundit mater uitales spiritus osculans infantem filium aut filiam. Hæc uocabulorum interpretatio sobriè & piè considerata de multis magnis rebus studiosos admonet.

Vtilis est & hæc consideratio intuentibus hominum naturam, cur in homine res dissimilimæ copulatæ sint? Mens cuius naturam dicimus esse incorpoream, & semper uicturam, & capacem diuinæ lucis, sapientiæ, & adflatus diuini. Et pars corporea, & quidem culina, coquens cibos & hoc mortale corpus nutriens. Hæc miranda societas rerum dissimilimarum non casu extitit, nec temerè condita est. Itaq; semper omnes non stolidi hanc coniunctionem ualde admirati sunt. Nec quisquam sanus homo unquam iudicauit, hanc copulationem dissimilium

dißimilium rerum temerè fieri posse, præsertim cum in mente sint similes in omnibus noticiæ perpetuæ & immotæ, numerorum & legum uitæ & aliæ. Necesse est igitur fateri huius nostræ naturæ, cuius partem interire uidemus, aliam esse architectatricem sempiternam, & immensam, quæ ut agnosceretur & quasi conspiceretur, in homines imaginem suam transfudit.

Ac nobis in Ecclesia proposita est commonefactio, Ideo menti adiunctam esse culinam, cuius tamen nullus in æternitate usus erit, quia Deus hunc ordinem sanxit, ut initia æternæ uitæ sapientiæ & iusticiæ perpetuæ in hac mortali uita accendantur. Non fulgebit sapientia & iusticia Dei in illis, qui non inchoant eam in hac mortali uita. Ideo uox doctrinæ sonat in genere humano, & gubernatio instituta est, & multis uinculis munita. Necessaria sunt igitur doctrinæ studia et disciplina. De his tantis rebus admonet nos aspectio humanæ naturæ, nec ulla tanta est ullius Angeli aut hominis sapientia, quæ utilitates omnes huius considerationis enumerare possit. Sed has paucas in hoc uestibulo recitaui, ut sciatis hanc doctrinam non negligendam esse, & uos ipsos aspiciatis, & hanc adspectionem cogitetis commonefactionem esse de Deo, & de multis uirtutibus.

Quid est Anima?

Etsi non uno modo loquuntur philosophi de Anima in Brutis, tamen de re ipsa non dissentiunt, & monstrant aliquid ortum ex materia, uel proprietatem materiæ, quod nominant Animã, uidelicet. Animam bouis dicunt esse aut spiritum uitalem aut κρᾶσιν seu temperamentum uniuersi corporis. Cum hac declaratione congruit dictũ Moisi, qui ait. Animam carnis in sanguine esse. Significat autem Anima Ebræis Vitam. Hanc cum dicit in sanguine esse, uult sanguinem uehiculum esse uitæ, & indicat, Spiritus uitales illam ipsam rem esse, quæ cient corpora, quam nominamus Animam.

Cum hoc modo monstratur materia, ut Spiritus uitalis, aut materiæ proprietas, ut temperamentum, quid dicatur utcunq; intelligi potest. Vt enim in lychno flammam intelligimus, quæ rapit alimentum ex cera & filo: Sic in corporibus Animantium intelligere spiritum uitalem possumus, qui est tenuissima flamma, genita ex sanguine uirtute cordis, uolitans per totam corporis machinam, & largiens corpori uiuificum calorem, & uim ciendi motus & actiones. Hæc utcunq; intelligi possunt. Et quanquam hic etiam interrogari potest, Quare spiritu uitali accendantur uita & motus, & non

& non alia materia sanguine aut carne, cum tamen & hic uitalis Spiritus sit materia & halitus ex elementis ortus? Responderi potest, quia tale est naturæ opificium. Vt non est quærenda causa ulterior, quare cœlum, Sol, Luna, sic moueantur. Sed talem uidemus esse naturam, Nec causas ulteriores quæramus.

Postquam autem de Anima in Brutis utcunq; constituta est sententia, deinde quæsitum est, quid sit Anima hominis. Hic uero ingenioſi homines multa disputarunt. Nam si dicerent, tantum esse uitalem Spiritum, aut temperamentum, unde sunt intellectio, raciocinatio, memoria, electio? Hæ actiones non uidentur esse materiæ elementaris. Deinde si Anima hominis superstes est extincto corpore, non erit Spiritus uitalis aut temperamentum. Cum igitur discrimen esse inter animas Brutorum & hominum, fatendum esset, magna diuersitas opinionum semper fuit, quæ res sit Anima hominis.

Etsi autem alij aliter locuti sunt, tamen plurimorũ sententiæ eatenus cõgruunt, quod senserunt, animas humanas aut esse Spiritus uitales ac animales, aut Crasin. Nam qui dixerunt harmoniam esse, senserunt esse κρᾶσιν. Stoici & alij qui dixerunt halitus, aut igneas esse, flammas intellexerunt, quæ

ſunt ſpiritus uitales. Congruit etiam cum his ſententijs dictum Hippocratis, qui ait, Anima hominis ſemper gignitur, id eſt, ſeu calor naturalis, ſeu ſpiritus in ſanguine. Itaq; addit. Cum hæc anima inflammatur, pereunt & corpus & anima. Nam cum calor aut ſpiritus non ſeruant iuſtam diſpoſitionem, extinguuntur animantia.

Verecundiſſimè omnium Galenus loquitur, qui de Anima Nutritiua & ſenſitiua non dubitat adfirmare, eſſe eas aut Spiritus naturales & uitales, aut craſin. Sed de rationali dicit, ſe non adfirmare, an λογιστικὸν ſit alia natura incorporea & ſeparabilis, an uerò ſit natura corporea. Sed ſpiritum animalem eſſe illam ipſam Animam Rationalem, aut proximum eius organon. Verba eius hæc ſunt in ſeptimo libro de placitis Hippocratis & Platonis. Εἰ δὲ καὶ περὶ ψυχῆς οὐσίας ἀποφήναδαι χρή, δυοῖν θάτερον ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ἢ τὸ εἶναι τὸ θεῖον ἀυγοειδές τε καὶ αἰθερῶδες σῶμα λεκτέον αὐτήν, ἢ αὐτὴν μὴ ἀσώματον ὑπάρχειν οὐσίαν, ὄχημα δὲ τὸ πρῶτον αὐτῆς εἶναι τὸ σῶμα, id eſt, Sin autem & de Animæ ſubſtantia aliquid pronunciandum eſt, duorum alterum dici neceſſe eſt, aut eſſe eam uelut ſubſtantiam lucidam & corpus æthereum, aut ipſam quidem incorpoream eſſe, Sed tamen hoc corpus,

corpus, id est, spiritum Animalem, uehiculum esse. Et ut Galeni uerba magis perspicua fiant, distributionem Platonis hic statim initio recitabo, praesertim cum & Aristotelica in secundo de generatione Animalium cum ea congruat.

Plato inquit, ~~Naturam hominis~~ esse quiddam monstri simile, & quidem Scyllæ in Siculo mari, cuius species suprema similis est uirgini, pectus Leoni, ima pars latrantium canum. Et sic loquuntur aliqui, Platonem tres animas in homine ponere, infima est ~~ἐπιθυμητική~~, ~~cuius sedem esse~~ Epar inquit, uorax & ad libidines prona, canum simílis. Hæc complectitur facultatem Nutritiuam & generatiuam.

Altera media Leonina uocatur θυμητική, cuius sedes est cor, cui attribuit uirtutem uitalem & adfectus, læticiam, spem, tristiciam, metum, iram, odium, misericordiam, & cognatos adfectus. Et de his duobus gradibus Galenus adfirmat, has animas esse ipsa temperamenta Epatis & cordis. Sic enim inquit, ἐδείχθη γὰρ ἔμπροσθεν ἡ θυμητὴ ψυχή, κρᾶσις οὖσα τοῦ σώματος, ἡ μὲν οὖν τῆς καρδίας κρᾶσις, τὸ θυμοειδές ἐστι τῆς ψυχῆς, ἡ δὲ τοῦ ἥπατος τὸ ἐπιθυμητικόν.

Tertia anima est ἡγεμονικὴ seu λογιστικὴ, quam

Platonis

lib. 4 7 9 de Rep.

Hom. 12. Odiss. Virg. 3 Aen.

ἐπιθυμητικὴ

irascibilis

θυμητικὴ

λογιστικὴ.

quam ait esse in capite, & eius officia esse, intellectionem, memoriam, raciocinationem, iudicium, & suppeditare uim sensibus, & regere uoluntarios motus. Hic uerò dubitat, An hæc anima sit ipse Spiritus animalis, seu temperamentum, an uerò accedat natura incorporea.

Aristotelis. Eodem modo Aristoteles in Secundo de generatione Animalium, numerat tres potentias. Ipse enim usus est nomine δυνάμεως, Et infimam δύναμιν nominat θρεπτικήν, alteram αἰσθητικήν. Eas dicit non aliunde accedere, sed nasci in corporibus, & prius animam uegetatiuam esse in fœtu, quàm sentientem. De tertia uerò addit. Mens sola extrinsecus accedit, eaq; Sola diuina est, nihil .n. cum eius actione communicat actio corporalis. Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θυραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον, οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τὴ ἐνεργεία κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνεργεία.

cap. 3.
θρεπτικὴ.
αἰσθητικὴ.
λογιστικὴ.

Adhuc mediocriter congruunt dicta philosophica de Anima Vegetatiua, et Sensitiua. Ac de his duabus facultatibus etiam in Ecclesia uerè dici uidetur, esse eas uel temperamenta, uel δυνάμεις propagatas ex natura corporea, uidelicet ex Natura seminum. Vt enim in plantis propagatur anima, seu uis seminalis cũ semine, & bouis anima oritur ex

tur ex ui seminis, sic de Anima uegetatiua & sensitiua in homine dici potest. Homo enim non generat imperfectius, quàm plantæ aut Boues.

Mouetur hoc argumento & Occam scriptor Anglicus, ut dicat in homine duas esse distinctas animas, Rationalem & Sentientem, quia manifestum est, animæ sentientis nullas esse actiones, nisi organicas. Quare consentaneum est, oriri eam à semine, & esse uel temperamentum, uel δύναμιν in corpore. Addit & hoc argumentum: Contrarij sunt appetitus racionalis & sensualis. Videntur igitur & substantiæ distinctæ esse, quia in una & eadem, ac indiuisibili natura pugnantes appetitiones collocare uidetur absurdum.

Item. Naturalissimum est uiuentibus gignere aliud simile. Gignit igitur & homo hominem saltem secundum uitam sentientem, si non secundum animam rationalem. Et has animas uegetatiuam & sentientem esse ex Traduce, id est, ex natura seminis, fatendum est.

Nunc recito Aristotelis definitionem, quæ non est obscura, ijs qui Aristotelis sermonem intelligunt. Sed noua & peregrina uidetur ignorantibus Aristotelicum sermonem.

Definitio

Definitio Aristotelis.

Anima est Endelechia prima corporis physici organici, potentia uitam habentis.

Declaratio.

Vnde hæc noua appellatio est Endelechia? An præstigias offundit Aristoteles hominibus hac noua uoce, ut multi existimauerunt?

Respondeo. Hic primum necesse est redire ad physicen Aristotelis. Aristoteles partitur uniuersaliter substantias corporeas in materiam & formam. Nec intelligit formam, hoc modo, ut multi somniant, aliã materiam, uel aliud corpus in materia uel corpore crassiore, sed ipsam rei exædificationem, ut ita dicam. Vt cum Leonem, aut Bouem monstrat, dicit partem esse corpus seu materiam, aliud quiddam esse formam, uidelicet uitam seu agitationem substantialem Leonis, aut Bouis, qua iam Leo est talis, aut qua Bos est talis. Nec uult illam agitationem substantialem Leonis, aliam materiam esse. Sed cogitat talem esse naturã, ut aliud sit materia, & aliud cogitatio. Quare & accidentalem motum nominat Endelechiam, ut cum Nauim currentem uideo, aliud esse cogito materiam nauis, aliud motum, nec fingo motum esse

aliam

aliam materiam. Sic & de uita loquitur, quam ipſe primam & ſubſtantialem agitationem intelligit & nominat. Hæc Ariſtotelica ſi quis perſpicit, etiam hic intelliget, quo conſilio Animam dicat eſſe Endelechiam, id eſt, agitationem, ſeu actum, ut ueteres uerterunt.

Vidit Ariſtoteles alios loquentes de anima, quærere materiam, ut plurimi dixerunt eſſe ſpiritum uitalem. Ipſe cogitat id corpus materiam eſſe. Poteſt autem rurſus quæri, cur hæc materia ſcilicet ſpiritus uitalis uiuit? Sanguis, unde oritur ſpiritus, non uiuit? Ergo aliud quiddam eſt materia, aliud illa rei agitatio. Nec ulterius quærendum eſt, quid ſit hæc agitatio, ſed talis eſt natura. Nec uita, nec motus eſſet, niſi talis eſſet agitatio. Vt ſi quæras de uiſione, aliud eſt materia, uidelicet humor cryſtallinus, & ſpiritus illabens in Neruo optico: aliud ipſa uiſio, quæ non eſt alia materia. Itaq; in definitione Animæ & cautior eſt cæteris, & propius reſpondet. Siue ſpiritus uitalis, ſiue temperamentum, ſiue harmonia ſit immediata cauſa uitæ, Hanc immediatam ſedem ipſe relinquit, & dicit, Animam eſſe hanc ipſam agitationem, qua iam Leo eſt talis, ſeu qua bos eſt talis, ſeu qua Homo eſt talis.

Hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam nihil dubium eſt. Re=

eſt. Recentiores eius interpretes quærunt quaſi aliud corpuſculum in corpore animantis, quod nominent Animam, & cogitant Ariſtotelem Animã collocare in corpore, ſicut gubernator eſt in naui, cum ipſe comparet Endelechiam uiſioni.

De Vocabuli ἐνδελεχείας origine & ſignificatione.

Vocabuli interpretatio addet aliquid lucis & huic definitioni, & alijs multis diſputationibus. Vt non dubium eſt, quin λευκὸν ſignificet album, ita nequaquam dubium eſt, quin ἐνδελεχὲς ſignificet continuum. Et ἐνδελέχεια, continuitatem. Cumq; ubiq; obuia ſint exempla, non addam teſtimonia, tantum meminerint iuniores ueterem uerſum κοιλαίνει πέτραν ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ. Sumpſit igitur Ariſtoteles uocabulum à populo, & prius eo uſus eſt in tertio libro phyſicorum in definitione Motus, ubi ut ſignificaret progreſſionem ad formam, hanc uocem uſurpauit, qua ſignificatur continua illa ſucceſſio partium. Motus eſt Endelechia in ſubiecto, quod ad aliquã formam tendit, id eſt, eſt agitatio qua acquiritur forma. Vt cum Aqua calefit, aqua ſubiectum eſt, & agitatio continua in aqua, eſt iter ad aliam formam.

ma. Ideo & Themistius uerba illa declarans, ait, Endelechiam esse itionem ad formam.

Ac Boetius, qui Aristotelis philosophiam recte intellexit, uocabulum Endelechiæ interpretatur, Actum, non intelligens acta, uel res effectas, sed ut Latini ueteres Actum pro agitatione dicebant, iuxta illud: Militem oportet in Actu mori, id est, agentem & præliantem. Et Quintilianus inquit: Studia sapientiæ non iam in Actu suo, atq; in hac fori luce uersantur, sed in porticus recesserunt. Quare & Cicero considerans & originem uocabuli, & Aristotelis consilium, uertit Endelechiam continuatam motionem, id est, assiduam agitationem. Quia Græcis sciebat συνεχὲς λεχές esse idem, quod continuum, & Aristotelem uidebat loqui, de motu, seu de agitatione. Norat enim Cicero & antea apud Aristotelem, in definitione Motus poni uocem Endelechia, Sciebat et promiscuè in eo ipso loco Aristotelem uti uocabulis Endelechiæ & Energiæ, & expressè dicere, Motum esse ἐνέργειαν, id est, efficaciam, non ociosam formam. Et in nono μετὰ τὰ φυσικὰ, rursus dicit, idem esse ἐνέργειαν & ἐνδελέχειαν. Quare & Plutarchus ait, ἐνδελέχειαν usurpari pro ἐνεργείᾳ.

Ex his, quæ recitaui, lector candidus, & non

rudis Aristotelicæ doctrinæ, iudicare potest, & quid uocabulum Endelechia significet, & Ciceronis interpretationem cum sententia Aristotelis recte congruere.

Argyropylus Ciceronem reprehendit, & maluerunt alij quidam uerti Endelechiam, perfectionem interiorem, quasi τὸ ἔντος τελεσθῦ. Hanc imaginationem adparet eos non sumpsisse ex Aristotele, sed ad eum attulisse, cum tantum de Anima hominis dici arbitrarentur, & hanc uidelicet naturam separabilem habitare cogitarent in parte corporis certa, sicut in naui gubernator sedet ad gubernaculum. Hæc aliunde ad Aristotelem allata sunt, non sunt ex ipso sumpta. Cicero rectius uidit consilium Aristotelis. Nec tamen hanc quæstionem ulla φιλονεικία, moui, nec impedio, quo minus sua cuiq; sententia placeat, præsertim in hac exili disputatione, quæ non labefactat statum reipublicæ. Vt nec iocus apud Lucianum turbat rempublicam, ubi litera δ agit interdicto unde ui, quod ex dictione ὠδελέχθα expulsa sit, postquam irruperit in eum locum litera τ. Sed mdico non tam meam sententiam, quàm meorum præceptorum, qui non rudes fuerunt Aristotelicæ doctrinæ.

Obiectio.

Sed interpretatio Ciceronis reprehenditur hoc argumen-

argumento: Agitatio seu motio est accidens. Anima non est accidens. Igitur non propriè dicitur esse Agitatio. Respondeo. Aristoteles ipse diluit hanc obiectionem. Inquit .n. duplicem esse ἐνδελέχειαν. Alteram substantialem, alterã Accidentalem. Substantialis est ipsa talis uita rei uiuentis seu animalis, quæ actiones ciet, ut si diceret, Animã esse ἐνέργειαν, seu efficaciã. Et utcunq; intelligi potest, uitam, agitationem esse continuam. Sed in definitione Motus, ἐνδελέχεια est accidentalis agitatio, quæ sequitur substantiam, & incipit ac desinit manente substantia, ut motus localis, aut alteratio. Discernit Aristoteles substantialem Endelechiam ab accidentali, hoc modo. Alterum inquit habet se, ὡς ἐπίστημα, alterum ὡς τὸ θεωρῆσαι, id est, Alterum propemodum se habet uelut habitus, alterum ceu actus.

Enarrato uocabulo, quod in definitione positum est ut genus, nunc membra definitionis ordinè considerem us. Anima est Endelechia, id est, non est materia, non ignis, non aqua, non spiritus uitalis, sed & ipsa uita, qua uiuit spiritus uitalis. Etsi enim Medici materiam quærunt, ut spiritum uitalem, uel temperamentum, tamen quæri potest, cur magis uiuit hæc materia, quæ est spiritus uitalis, quàm caro, aut ossa? Aliud igitur quidam

dam eſt, ipſa uita, ſeu agitatio. Ac prorſus uicina eſt Ariſtotelica ſententia Andronici enarrationi qui ait, ἐνδελέχειαν ſignificare aut κρᾶσιν, aut δύναμιν. Ac laudat Galenus ingenuitatem Andronici, quòd quaſi digitum intendens in rem certam, monſtret quid intelligat eſſe Animã. Nam illa ſubſtantialis agitatio reipſa eſt δύναμις quædam ōrta ex tali temperamento. Nec ulterius quærendũ eſt, quare inde oriatur. Phyſicus enim cernit naturam eſſe talem. Sed doctrina à Deo tradita, inquit, quia naturæ opifex Deus ſua immenſa ſapientia naturam cōdidit talem, ut aliud ſit materia, aliud uita & motus in materia.

Conſtituto genere ſequuntur cætera membra. Anima eſt Endelechia corporis phyſici, quod dicitur ad differentiam operum artificialium, quæ non agitantur ſua natura, ut machinæ horariæ mouentur, ſed non natura, uerum libramentis arte factis.

Deinde dicitur organici, Nam Lapides non uiuunt, quia uitæ organa, hoc eſt, inſtrumenta eis deſunt, quæ ſua natura cieant nutritiones, generationes, aut ſenſum, imo nec localis motus eſt ſine impulſione.

Sequitur in definitione. Potentia uitam habentis, id eſt, Anima in corpore organico ciet operationes

tiones, quod iam tale est natura, ut talium operationum capax sit, ut fœtus immaturus nondum capax est talium operationum. Hic enim nominat uitam operationes rei uiuentis, ut generationes, nutritiones, sensum, appetitiones, motum localem, intellectionem, electionem.

Recitaui descriptiones philosophicas, quæ si de pecudis anima tantum quæreretur, utcunq; monstrarent aliquid, quod cogitari potest in materia fons esse actionum. Nam bouis anima rectè dicitur, aut spiritus uitalis, aut illa in spiritu uitali agitatio, qua Bos uiuit. Nondum tamen penitus hæc perspicimus. Sed naturam foris intuemur, experimur & cernimus motus. Quid cur ita factum sit, sapientia est Artificis, non nostra. Et tunc demum penitus intelligemus mirandum naturæ opificium, cum Idæam in mente diuina coràm in illa æterna Academia intuebimur.

Etsi autem utcunq; iam cogitamus, quid sit Bouis aut Leonis anima, tamen de anima rationali hominis, seu de mente, quid sit, & unde sit, An sit spiritus uitalis & animalis, aut in homine res separabilis, utens ut organo proximo, spiritu uitali & animali, nondum ex his descriptionibus philosophicis liquet. Traditur ergo alia descriptio in Ecclesia.

DE ANIMA.

Definitio Animæ usitata in Ecclesia.

Anima rationalis est spiritus intelligens, qui est altera pars substantiæ hominis, nec extinguitur, cum à corpore discesſit, sed immortalis est.

Hæc definitio non habet physicas rationes. Et quanquam nonnulli contra eam multa disputant, tamen nos quidem in his initijs doctrinæ eam retinebimus, quia in Ecclesia propter hæc dicta usitata est, uidelicet quòd Filius Dei inquit. Corpus possunt occidere, animam autem occidere nõ possunt. Item. Hodie mecum eris in paradiso. Item. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est autem Deus, Deus mortuorum, sed uiuentium. Ex his dictis sumitur enarratio uerborum in Gene. Inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ. Etsi enim Deus pecudibus quoq; uitam indidit, tamen hic discrimen ostenditur inter animas hominum, & uitam pecudum. Adflatur hominibus anima foris, & tale spiraculum est, in quod Deus transfudit suæ lucis, ut ita dicã, radios, uidelicet suam sapientiam, noticias numerorum, discrimen honestorum & turpium, & alias noticias, quæ certè non sunt res ortæ ab hac mole corporea, seu natura elementari. Fuit etiam in eo spiraculo tunc rectitudo uoluntatis, &

liberæ

libera electio. Sed de his alibi dicemus. Itaq; ualde consentaneum est, in eo loco Geneſis deſcribi aliam naturam, quæ non est moles corporea, & diſſimilis est uitæ pecudum. Nec prolixius immorabor huic diſputationi. Sed retinemus ſententiam ab Eccleſia acceptam, congruentem cum teſtimonijs, quæ recitaui.

Hic autem quæſtiones aliæ mouentur. An una ſit tantum hominis anima, uidelicet ſpiraculum illud ſeparabile? An uerò ſint diſtinctæ animæ in homine, Vegetatiua, ſentiens, & Rationalis, ſicut Plato, Ariſtoteles, & Galenus loquuntur? Ac uidetur mirum, quid negotij ſit illi ſpiraculo uehenti radios diuinos, cum culina, ſeu parte uegetatrice.

Sed hæc ſententia recepta eſt. In homine eſſe Animam unam, uidelicet ſpiraculum illud, ſimul uehens lucem diuinam, & adferens uitam partibus omnibus congruentem. Non pugno de hac ſententia, nec tamen abſurdam eſſe iudico opinionem ſupra recitatam, eorum, qui dicunt, animam ſentientem, & uegetatricem eſſe uel πρᾶσιν uel ἁφλεχείας, uel animas diſtinctas ab illo ſpiraculo, in quo eſt intelligentia & electio.

Poſtea & hæc quæſtio agitatur. An rationales animæ ſingulorum hominum de Nouo creentur

à Deo, & corporibus infundantur, an uerò ex traduce oriantur? ut non dubium est, in plantis & pecudibus uim seminalem esse, gignentem similia, quæ ex traduce propagantur. Extat hæc quæstio & apud Augustinum, & apud alios.

Sed fateamur, nos mirandum opus sapientiæ & potentiæ Dei in creatione Mundi non penitus perspicere. Agamus potius Deo gratias, quòd aliquo modo aspicimus naturam, & aliquam partem intelligimus, & uestigia Dei in natura cernimus, quorum summa est certitudo.

Qui dicunt, animas non oriri ex traduce, moueantur hoc dicto, Inspirauit Deus in faciem hominis spiraculum uitæ.

Sed respondent alij, in illis uerbis describi initium naturæ humanæ, & tunc primis hominibus hanc uim in illo adflatu insitam esse, ut deinceps propagatio uiuentium fieret. Et quamuis sit in natura uis seminalis, tamen perpetuò concurrere generalem Dei actionem, sustentantis & fouentis naturam, quod uerissimum est, sicut scriptum est: In ipso uiuimus, mouemur, & sumus. Et discrimen inter animas Heroicas & non Heroicas ostendit, uerè adesse Deum generationi, cum

alias animas alijs donis ornet, quorum aliqua uidentur non à corpore oriri.

Aliqui uerò & propter hoc argumentum inclinant in hanc sententiam, ut existiment, animas oriri ex traduce, quia uideatur absurdum, animas, quæ nunc auersæ sunt à Deo, & reæ, de nouo creari. Sed respondent alij, talem in generatione conseruari naturam, qualis nunc est. Nam nec corpora essent, nisi diuinitus sustentarentur. Frigidius respondent, qui dicunt, animas pollui contagio corporum. Quidam & ex dicto Gen. 2. raciocinantur, animas ex Traduce oriri. Cessauit Deus ab opere suo, id est, conseruat quidem species cõditas, At non condit in eis partes nouas ex nihilo. Sed hanc disputationẽ abrumpo, et iuniores moneo, ut discernant ea, quæ utcunq; mentis humanæ acie penetrari possunt, ab alijs, quæ peruestigari nõ possunt. Simus hac sapientia cõtenti, quòd uita, sensus, raciocinatio et electio ostendunt, esse in nobis Animas, & esse eis insitas noticias, & alias dotes, quæ testantur, & esse Deum, & animas ab ipso conditas esse. Adiungamus & testimonia diuinitus tradita, quæ adfirmant, Deum semper uitæ datorem & conseruatorem esse, sicut anteà dictum est: In ipso uiuimus, mouemur et sumus. Et agnoscamus eum fontem & custodem nostræ uitæ esse. Deinde

effectus animæ & organa subiecta oculis aspiciamus, et uideamus, quarum partium qui sint effectus & motus, quæ partes in hac imbecillitate quales habeant actiones, quæ quomodo regi possint. Hanc sapientiam uitæ & moribus utilem quæramus.

De quæstione, An sit Anima in toto, & qualibet parte tota.

III Quæstio de anima totis.

Anima Bouis, quæ est uel spiritus uitalis, uel ἐντελέχεια, uel Endelechia, est quiddam diuisibile iuxta partes corporis. Nam spiritus uitalis similis est flammæ, quæ partes habet, & alibi sunt aliæ. Nec de tali anima loquitur dictum, Anima est tota in toto, & in qualibet parte tota. Quod unde sumptum sit ignoro. Nam in Aristotele nusquam extat. Et commenticium est, etiam si quis tantum de hominis Anima intelliget, & sentiet, Animam hominis esse spiritum separabilem. Quia spiritus finiti quanquam non sunt res diuisibiles, ut corpora, tamen sunt in unico loco, ex quo agunt ad certam distantiam, alij magis, alij minus procul, ut suum cuiusq; robur est. Galenus animam Racionalem in Cerebro collocat, quia ibi sunt sensus interiores, quorum ministerio proximo Anima racionalis in cogitatione & raciocinatione utitur.

Spiritus finiti sunt in unico loco.

Sedes animæ rationalis apud Galenum.

Augustinus lib. 1. de origine animæ cap. 3. & in lib. de spu & anima cap. 35. affirmat Animam totam in toto & in qualibet parte totam. Sirus (inquit) dicitur in pede & non respicit oculum, neq; oculus respicit, nec dorsum respicit. Homo sic in oculo & in pede totus est & non minus in uno membro minus est, nec a dorsalibus augetur.

gitur. Alij malunt cor ſedem eſſe Animæ, quia cor uitæ Fons eſt, & ſedes omnium adfectuum, qui cognitionem ſequuntur. Et ſermo Propheticus ac Apoſtolicus ſæpè nominat cor, cum loquitur non de fonte adfectuum, ſed de parte cognoſcente. Vt cum ait Paulus. Homines habere legem ſcriptam in cordibus. Sit igitur cor Animæ domicilium, in quo ad certam diſtantiam in cæteris membris ciet actiones. Hac breui admonitione de hoc dicto contenti ſimus. Nunc potentias & earum organa, & actionum genera conſideremus. Nam hæc doctrina magis obuia eſt hominum intelligentiæ, & conducit ab tuendam ualetudinem, ad regendos mores, & ad monſtranda illuſtria teſtimonia de Deo in nobis.

Quot ſunt potentiæ Animæ hominis?

Tres gradus ſunt Animarum. In Plantis tantum eſt Vegetatiua. In Brutis uegetatiua & ſentiens. In homine uegetatiua, ſentiens & Rationalis. Receptum eſt in ſcholis unam ponere Animam in quolibet Animato. Ideo Brutis tribuitur anima ſentiens, ſed additur uegetatiua tanquam potentia, quam continet anima ſentiens, ſicut & potentias appetendi & loco mouendi continet.

Sic

Sic loquuntur scholæ & de homine. Vnam tribuunt homini animam, uidelicet rationalem, sed addunt uegetatiuam & sentientem, tanquam eius inferiores potentias. Loquemur & nos scholarum more, perinde ac si sit unica Hominis anima continens plures potentias. Vt in una re possunt esse multæ δυνάμεις. In radijs Martis est uis urendi & ualdè desiccandi. In radijs Lunæ est uis leniter calefaciendi, & humectandi. Sic certũ est eiusdem animæ uires esse, potentiam cognoscendi, & potentiam appetendi & auersandi.

Sunt igitur in homine potentiæ quinq;, Vegetatiua, Sentiens, Adpetitiua, Loco motiua, Rationalis.

Agnoscitur autem hæc diuersitas ex actionibus quæ cum incurrant in sensus, mouent, ut singularum organa & fontes quæramus. Huius doctrinæ ampliſsima est utilitas.

Magna & inepta contentio fuit in scholis, quomodo distinguantur potentiæ. De Organicis manifestum est, distingui eas organis. Et in alijs organis animam alias effectiones habere, sicut ex alijs fistulis alij soni eduntur.

Quid est organum?

Est pars corporis animati, certo temperamento, figu-

tõ, figura, & situ, condita ad functiones certas, illi naturæ conuenientes. Vt in homine oculi certo temperamento, situ, figura, conditi sunt ad uidendum. In plantis radices sunt uelut os, quo nutrimentum attrahunt & transmittunt in reliquum corpus. Rami sunt baiuli fructuum, Folia tegunt fructus.

Vt autem alias Physicæ partes ordimur ab ijs, quæ magis sensui obuia sunt, ita in hac doctrina, priusquam de potentijs dicemus, prodest aspicere corpus hominis, & diuersa membra, & organa, quasi machinas considerare. Vt enim conspecta mola seu bombarda, & globo, ac puluere tormentario, facilius raciocinari causas possumus, ita in corpore nostro monstratis machinis, potentias facilius intelligere & iudicare possumus.

Pertinet autem hæc descriptio organorum ad uestutam illam Medicorum doctrinam, quæ orta est ex sectione corporum, quã uocant ἀνατομὴν, quæ non inani curiositate tentata est, sed propter multas grauissimas causas omnibus ætatibus expetita est. Quid enim faciet medicus, si locum affectum ignoret? Ac uetustas adeo necessariam esse cognitionem partium corporis humani iudicauit,

Anatomia

cauit, ut in Medicorum familijs usitatum fuerit, domesticas dissectiones facere spectandas adolescentibus inde usq; à prima ætate. Nam olim artes in possessione illustriũ familiarum retinebantur, & glorioſum esse ducebatur, posteris in familia tradere maiorum doctrinam & inuenta. Sic in Hippocratis familia, quæ orta est ab Aesculapio, possessio artis Medicæ usq; ad Aristotelem multis seculis mansit. Ideoq; Galenus ait, tunc non scriptos esse libros Anatomicos, quia domestica inspectio fuerit. Postea diligentia illa ueteri extincta, scriptis opus fuit.

Quanquam autem doctrinæ huius amplitudinem complecti nequaquam possumus, & hæc propria artificum eius generis cura esse debet, & extat locupletissimum opus uiri peritissimi Vuesalij, unde sumi doctrina uberior potest, tamen hîc initia quædam recitabimus, quæ ad discernendas potentias & actiones maximè necessaria sunt. Necesse est enim scire aliam sedem esse cognitionis, aliam adpetitionum. Et quæ sint differentiæ membrorum, quæ nutritioni seruiunt. Necesse est humorum discrimina tenere. Deniq; manifestissimum est, non solis Medicis, sed omnibus hominibus utilem esse mediocrem cognitionem partium corporis, quæ ad ualetudinem tuendam, ac medicationes,

& ad

& ad multas eruditas disputationes dijudicandas conducit.

Prius autem foris aspiciendum est corpus. Ideo nomina partium exteriorum recitabo sine physicis descriptionibus, quæ longiores essent. Proderit autem hæc ipsa qualiscunq; uocabulorum interpretatio ad sequentia, & ad intelligendam lectionem in multis scriptis.

Vocabula partium corporis humani exteriorum.

Cutis δέρμα. In homine ab Herophilo dicta ἀνθρωπικὴ, quasi uestis est corporis, natura uicina & carni & neruis, & quasi neruus est sanguine præditus.

Supra cutem alia tenuior superficies est, quam uocant ἐπιδερμίδα, Vsitatè cuticulam uocant. Et est exanguis, ac in eam tenuissimæ fibræ uenarum, arteriarum & neruorum desinunt.

Intus sub cute est membrana carnea, ὑμὴν σαρκώδης, panniculus crassior & robustior per totum corpus sparsus, cui adhærent musculi, & per quem in cutem transmittuntur tenuissimæ arteriæ & neruorum propagines, quibus cuti alligatur.

Inter hanc membranam & cutem est pinguedo in homi-

πιμελή. *in homine, quæ nominatur adeps,* πιμελή. *Nam ex uenis & arterijs exudat ſanguis, qui membranæ frigiditate, & caloris inopia in hanc pinguedinem uertitur, quæ quidem & moderatè calefacit, & æſtus mitigat.*

περιόσεον *membrana oſſibus circumdata, neruorum implicita ſurculis, ne ſenſus deſit oſſibus.*

Caput κεφαλή.

Vertex *ſummum capitis.* κορυφή.

Sinciput, *quod à uertice in frontem uergit.* Βρέγμα.

Occiput *poſterior pars à Vertice ad ceruicem.* ἰνίον.

Caluaria κρᾶνιον *à* κρᾶνος *galea.*

περικράνιον, *membrana caluariam tegens.*

κόγχος, *Cauitas, quæ eſt ſedes oculorum.*

κύτος, *cauitas interior caluariæ.*

σκάφιον *idem.*

Frons μέτωπον.

σολίδες *lineæ caperatæ frontis.*

Facies πρόσωπον.

Bina tempora κροτάφοι.

Supercilia, *pili ſupra oculos* ὀφρύες.

Interuallum *inter ſupercilia,* μεσόφρυον.

Oculi ὀφθαλμοί, ὄμματα.

Palpebræ,

Palpebræ, tunicæ quæ tegunt oculos, βλέφαρα, quasi φάρος τοῦ βλέποντος, tunica oculi.

Cilia, palpebrarum pili, nati in tunicis illis, quæ tegunt oculos, βλεφαρίδες, quarum usus est, ut radios seu spiritus uisiuos dirigant. Nam his amissis aut retortis, oculi non possunt rectè prospicere.

Pupilla κόρη, non est humor, quo proprie uidemus, sed foramen est uueæ tunicæ, per quod permeant species uisibiles.

Iris est circulus in uuea, qui foramen illud ambit, dictus à diuersitate colorum.

Albugo, σφενδόνη, & λευκώμα.

Anguli oculorum uersus Nasum et uersus tempora, κάνθοι.

ῥαντῆρες & σκηγαί, id est, scaturigines, carunculæ in angulo oculi uersus Nasum, ubi lacrymæ erumpunt, à uerbo ῥαίνω aspergo.

Auris οὖς.

Auricula orleplin λόβιον.

πτερύγιον extremitas auris superior, supra λόβιον. Nominatur & ἀντιλόβιον.

Cauitas in Auribus, κόγχιον, seu σκάφος.

Foramen πόρος ἀκουστικός.

Naſus ῥίς.

Foramina Naſi, μυκτῆρες, unde uerbum eſt μυκτηρίζειν, ſubſannare, quia geſtu narium fit ſubſannatio.

Suprema pars Naſi interior ἦθμος, cribrum per quod attrahitur ſpiritus.

Genæ uocantur & Malæ autore Plinio, qui inquit: Malæ homini tantum, quas priſci genas nominant, ſunt inter naſum & aures pudoris ſedes, quem ibi maximè rubor oſtendit.

Græce μῆλα, ſuperior pars genarum.

Inferior Buccæ, γνάθοι Backen, παρειαί.

Mandibula, & Maxilla idem, kinback ſupra Mentum, γένυες, σιαγόνες.

Mentum γένειον. alias ἀνθερεών

Os στόμα. Homer. 1. Iliad.

Labra χείλεα.

μύσαξ pars à Naribus ad labrum. Homerus uocat ὑπήνην, utroq; nomine utuntur pro ſuperioris labri barba, ein knebelbart. Aliqui totam barbam ὑπήνην nominarunt.

Dentes ὀδόντες numero duo & triginta.

Quaterni anteriores dentes, Inciſores uel Diuiſores, τομίς; Et gelaſini, quia in riſu retegunt̃ur.

Proximi

Proximi utrinq; singuli dicuntur canini, discernentes incisorios à molaribus, κυνόδοντες.

Vlteriores dicuntur Molares γόμφιοι.

Vltimos qui postremi post septem annos nascuntur, Varro nominat Genuinos, græci κρανταῖρας.

Indicium uirium sumitur à Dentibus. Quibus enim densi & firmi dentes sunt, hi plærunq; sunt παχυόβιοι. Contra breuioris uitæ sunt, quibus dentes sunt rari & scabri. Pyrrho continuum os dentium fuit. Et nostra ætate in aula optimi principis Ernesti, Ducis Luneburgensis, fuit uirgo nata in familia nobili, cui fuit os dentium continuum. Et narrabat Dux Ernestus, eximiam in ea uirtutem & grauitatem fuisse.

Gingiua exterior, ὄυλον zanfleisch.

Gingiua interior ἔνδυλον.

Lingua, γλῶττα.

Χύραμοι foramina in carne glandulosa ad radicem linguæ, ex quibus saliua manat.

Palatum, totum fastigium supra linguam, usq; ad fauces, ὑπερῶα. Et apud Aristotelem ὀυρανός. & apud Galenum ὀυρανίσκος.

Fauces φάρυγξ, proprie cauitas uicina utriq; fistulæ, Tracheæ arteriæ & oesophago. Sunt q; in eo spacio Gurgulio & amygdalæ, græci φάρυγγα nominant ἴδμονα.

Amygdalæ latinis Tonsillæ & glandulæ, græcis ἀνλιάδες & παρίσθμια.

Gurgulio γαργαρεὼν, nomen est partis pendentis in faucibus. Alia duo nomina, Vua & columna morbos significant, σταφυλὴ dicitur uua, cum gurgulio inflammatus est. Cum uerò laxior dependet κίων, columna dicitur. Vtilitas autem gurgulionis est, modulationem uocis adiuuare, & remorari aërem, ne nimis frigidus ad pulmonem subito irrumpat.

Deinde faucibus uicinæ sunt duæ fistulæ. Trachea Arteria, quæ est fistula descendens ad pulmonem, condita non ut cibum aut potum transuehat, sed tantum spirationis ac uocis gratia, facta est ex cartilagine, tanquam annulis distincta, ideoq; uocatur aspera.

Nodus qui eminet sub mento, qui est orificium tracheæ arteriæ, ac uulgo adpellatur Nodus gutturis, nominatur λάρυγξ, das kneufflin am hals.

Deinde reliqua pars tracheæ inferior, nominatur βρόγχος.

Epiglottis est cartilago mollis, quæ est operculum laryngis, simile folio Ederæ, factum ad claudendam Tracheam Arteriam, ne cibus aut potus illabatur, rursus autem ad aperiendam eam in aëre attrahendo.

Aliud

Aliud quiddam est γλωτὶς, quæ est in orificio tracheæ lingula, qualis est in fistulis Musicorum, rima uidelicet facta duabus tenuissimis membranis, quæ inflatæ dilatantur, & sunt præcipuum uocis organum, ut infra copiosius dicetur. Hic enim tantum nomina posui, ut discernantur, ἐπιγλωτὶς & χλωτὶς, quia multi & hæc uocabula, & rerum ipsarum descriptionem confundunt, qua de re eruditissimè lectores monet Vuesalius.

γλωτὶς
ἐπιγλωτὶς.

Altera fistula procedens à faucibus nominatur ὀισοφάγος, Latine gula, Arabice Meri, quæ est canalis continuus corpori uentriculi, similis tubæ, supra angustior, infra amplior, transuehens cibum & potum in uentriculum. Nomen factum est, ab ὀίω fero & φάγημα, cibus. Totus hic canalis ab Aristotele nominatur σόμαχος. Nam σόμαχος generaliter significat angustos & longos canales, tendentes ad os aliquanto amplius, à σόμα, & ἄγχω. Homerus totum oesophagum nominat σόμαχον, inquiens, pecudi caput á stomacho præcisum esse. Interdum & Galenus sic nominat totum oesophagum. Interdum discernit, ut in libro Tertio de Locis adfectis, sic nominat id quod proprie adpellatur orificium uentriculi.

Homerus σόμαχον

ἢ ἀπὸ τοῦ τῆς χαλάζης σώματος, ὃ δὴ καὶ σώμαχον εἰώθασι καλεῖν οἱ ἰατροί.

Collum τράχηλος conditum est, ut per ipsum porrigatur trachea arteria, quam oportuit esse longiusculam, ad modulandam uocem. Itaq; nullum animal, cui deest collum, uocem edit.

Ceruix αὐχήν, etsi Aristoteli totum collum est αὐχήν.

Cauum, quod inter iugulos est σφαγή.

Iuguli duo ossa à collo ad humeros extensa, uocantur & furculæ κλεῖδες, quarum mentionem facit Demosthenes, inquiens, Philippum fregisse iugulum. Plinius inquit, soli homini sunt duo iuguli, dexter & siniſter.

Humeri ὦμοι.

Humeri cacumen ἀκρώμιον.

A ceruice duo lata ossa utrinq; tendunt, quæ græci uocant ὠμοπλάτας, latini scapulas, & scoptula operta, & uulgo spatulas uocant. Celsus ita loquitur, quasi cacumen sit scapula, & reliquum scoptula. Sed græci uno nomine contenti sunt ὠμοπλάται, Et Latini plærunq; contenti sunt nomine scapularum.

Interstitium inter scapulas usq; ad duodecimam uertebram thoracis, ubi uentriculi orificium alligatur

gatur uertebris, nominatur μετάφρενον.

Brachium βραχίων. Sed ſic græcis propriè nominatur pars Brachij ab humeris uſq; ad cubitum. Celſus humerum nominat.

Cubitus duo oſſa à flexu brachij uſq; ad καρπόν.

Flexus cubiti ἄγκων & ὠλεκρανὸς apud Galenum.

Vlna, maius os in cubito πῆχυς, & ὦλενος & ὠλένη, unde nomen ulnæ Latinis factum eſt.

Radius, in cubito os breuius κερκὶς & παραπήχιον.

Iunctura manus, ubi palma iungitur radio, καρπὸς dicitur. Inde medici dicuntur mittere manum in καρπὸν, cum explorant pulſum arteriæ.

Manus χείρ, egregiam laudem habet. Ariſtoteles nominat eam organum organorum. Nam & plura & magis uaria opera efficit, quàm ullum organum, & fabricat cætera inſtrumenta. Anoxagoras inquit: Manum ſapientiæ cauſam eſſe, niſi enim figuras & literas pingeret, & faceret machinas, neq; doceri neq; diſci ullæ artes poſſent. Sed Plutarchus allegoricam interpretationem addit, Manus, id eſt, experientiam, ſapientiæ cauſam eſſe.

Cæterum impreßit natura miras ſignificationes temperamenti in ipſas lineas manuum, quarum obſeruatio peperit χϕρομάντειαν, in qua etſi, ut in reliquis diuinationibus, multa inepta & ridicula traduntur, tamen & Ariſtoteles non prorſus commenticiam eſſe hanc obſeruationem exiſtimauit. Nam in problematis quærit de linea uitæ, quam ſic uocant: Quare longæui ſint, qui habent integram lineam mediæ manus.

Extenſa manus uſq; ad digitos μετακάρπιον adpellatur. Id proprie nominat Celſus palmam, græci κτένιον. Auicenna pectinem manus.

Hinc palmus menſura eſt, Et Minor palmus dicitur ſpacium quatuor digitorum, græce παλαίστη, & δόχμη, & δῶρον apud Heſiodum. Sed maior palmus eſt digitorum duodecim, græce σπιθαμή, ein ſpann, & ὀρδόδωρον. Latini dodrantem pedis nominant, quia nouem uncias pedis continet. Ita ſæpe inquit Plinius, caulis dodrantali longitudine.

Vola θέναρ carnoſa planicies in manu.

Cauitas in illa planicie κοτύλη.

Digiti, δάκτυλοι conſtant tribus oßibus, quæ nominantur σκυταλίδες & φάλαγγες. Latine internodia.

Articuli

Articuli digitorum eminentes, κόνδυλοι, unde & κόνδυλοι pugnos significant, ein faust. Et uerbum κονδυλίζειν pugno uerberare, mit feusten schlahen.

Pollex ἀντίχειρ quasi uicaria manus, quia in prehendendo tantum præstat, quantum tota reliqua manus.

Index λιχανὸς salutaris.

Medius digitus μέσος.

Medicus digitus παράμεσος, proximus minimo, qui & annularis nominatur.

Minimus digitus, μικρὸς, qui & auricularis dicitur.

Thorax anterior pars à collo ad ilia usq;. Sed Aristoteles hac adpellatione complectitur totum truncum à collo usq; ad pudenda, quem truncum & ὅλμον nominant.

Pectus στῆθος pars thoracis à collo usq; ad septum transuersum, seu ad διάφραγμα.

Στέρνον pars media pectoris, uidelicet ossa media pectoris, ut Galenus ait in sexto de usu partium, Medij ossis in pectore, quod στέρνον adpellatur. Et alibi inquit. Cor est situm sub στέρνῳ.

Ossa pectoris sub collo efficiunt furculam su-

periorem, quæ σφαγὴ nominatur. Ita in imo pectoris efficiunt cauitatem, in qua est cartilago conspicua, quæ nominatur ξιφοειδὴς.

ensiformis.

Cartilago ξιφοειδὴς, in illa cauitate sub ossibus pectoris, facta est ad muniendam partem uicinam stomachi. Galenus clarè dicit, sub στέρνῳ esse cartaligimem, quæ nominatur ξιφοειδὴς. Hanc recentiores nominant cartilaginem scutalem. Item malum granatum, quòd sit similis flori Mali punici.

mamma τὸ, τοιαῦτον ἐστὶ θῆλυ στῆθος ἐν ζώοις.

Mamillæ τίτθοι seu μαζοὶ, In fœminis lactis causa conditæ sunt laxiores. Etsi autem physica causa est, cur additæ sint pectori in genere humano, ut & cordis calor magis defendatur, & uicissim fortior sit calor ad lac coquendum, propter uicinitatem cordis, tamen non dubium est, & consilium fuisse opificis, discernere homines & animantia. Bestiæ tantum nutriunt sobolem, posteà negligunt, & obliuio sequitur parentum & sobolis. Sed homines transfundunt στοργὴν in sobolem, & retinetur memoria, & fit mutuus amor. Debent etiam parentes institutionem & sapientiam soboli. Galenus mentionem facit mutuæ calefactionis inquiens, καρδία θερμαινομένη ὑπὸ ἀντῶν, ἀντιθερμαίνει.

Cur mammillæ sint additæ pectori hominis.

pollex ex chirographo addis hanc hominis

mammas in pectore, et γαλαξοφόρ. elephantum, ex auibus nullas.

Ac ut

Ac ut ſanguis qui nutrit mamillas, melius coquatur, non recta uehitur ex caua uena, ſed longis ambagibus à iugulo deſcendunt uenæ, ut fiat coctio diuturnior. Et quia mamillarum caro candida eſt, attrahens nutrimentum, tranſmutat ſanguinem, & album efficit, ac reliqua pars lac eſt utile ad alendos infantes.

Papillæ θηλαὶ, prior pars, qua ſugit infans mamillas.

Coſtæ πλευραὶ, duodecim in quolibet latere. Sunt autem natura oſſea, ſed minus dura. Et ſunt plures, ut interſtitia fierent, ut dilatari & conſtringi pectus poſſet, & muſculi inter coſtas collocarentur. Superiores ſeptem uocantur ueræ coſtæ. Inferiores quinq; uocantur nothæ, uulgo mendoſæ, quia & breuiores & molliores ſunt. Ideoq; has quinq; uocarunt græci χόνδρον, id eſt, cartilaginem, quia ſubſtantia cartilaginea eſt.

Oriuntur autem ſeptem ſuperiores à ſpondylis, & terminantur ad στέρνον, hoc eſt, ad medium os pectoris, ut cor et pulmonem muniant. Inferiores uerò paulatim breuiores fiunt, ne uentriculus repletus nimium comprimeretur, & ob eandem cauſam

causam molliores sunt, ac ad diaphragma desinunt.

πλευρόν genere neutro latus.

πλευρὰ genere fœmimino membrana succingens costas, id est, intra totam cauitatem sub costis extensa, uestiens undiq; omnia quæ continentur intra thoracem, & nominatur χιτὼν ὑπεζωκώς, Vt infra rursus dicetur.

πλεῦραι numero plurali costæ.

Etsi autem Heua condita est ex costa sumpta ex Adam, tamen in uiro & in muliere numerus est costarum æqualis. Existimandum est igitur, in uiro costas antea fuisse tredecim. Et tredecimum iugum ex uiro exemptum esse, ubi est uiri cinctus, & inde fabricatam Heuam. Etsi autem multæ significationes inde sumuntur, tamen & complexus in cinctu significatur.

Sub costis pars exterior & interior supra umbilicum proxima costis nothis, nominatur ὑποχόνδριον, sicut Galenus expresse inquit, In Hypochondrijs sita esse Epar & splenem. Nec rectè redditur adpellatio Hypochondrij, adpellatione præcordiorum. Nam præcordia sine ulla dubitatione significant diaphragma, ut testatur Plinius, qui ait, præcordia esse phrenas. Et ipsum diaphragma

phragma seu septum transuersum phrenas dici, certissimum est.

De septo transuerso, quod græci διάφραγμα & φρένας nominant, postea dicetur in descriptione Interiorum. Est autem διάφραγμα paniculus Neruosus & carneus, qui est interstitium inter thoracem & uentrem, & munit superiora, ne halitus immodici simul ex uentriculo ascendant.

Sub diaphragmate situs est uenter γαστήρ, cuius exterius tegumentum, quod est cutis & membrana carnea, superiore parte, uidelicet supra umbilicum, nominatur ἐπιγάστριον.

Ilia λαγόνες, sunt uicinæ partes utrinq; circa umbilicum, retrorsum proximæ ossibus ilium, seu coxæ, quæ nominatur ἰσχίον.

Anterior uerò pars sub nothis costis umbilico proxima nominatur κενεῶνες. Sed hæc subtilis distinctio nominum, λαγόνες & κενεῶνες, sæpe negligitur.

Pars exterior sub umbilico dicitur ὑπογάστριον & ἦτρον, ut Galenus expresse scribit in secundo Aphorismorum, Apharismo 35. ἦτρον δὲ ἰδίως ὀνομάζῃ τὸ κάτω χωρίον τῆς γαστρός, ὅσον ὄζει μεταξὺ τοῦ αἰδοίου καὶ τοῦ ὀμφαλοῦ, id est, ἦτρον propriè nominat Hippocrates infe-

tes inferiorem partem uentris, quæ est inter pubem & umbilicum. Et addit postea, Totum spacium sub costis diuidi in tria, in Hypochondrion, ea quæ sunt circa umbilicum, & ἧπαρ.

Sub Hypogastrio pecten est, id est, os transuersum latius, quod munit intestina. Aristoteles inquit, extremum Itri est Epischion. Et Galenus inquit, Epischion esse os anterius, posterius uerò os sacrum lumborum uertebris subiectum.

Circa imam partem pectinis Inguen βουβών.

Partes exteriores in dorso.

E regione thoracis Dorsum est, νῶτον.

Pars inter scapulas opposita pectori μετάφρενον, id est, pars supra phrenas. Est autem intra μετάφρενον, os stomachi ad septimam uertebram. Ideo in eruditatibus dolor sub scapulis sentitur.

Sub μεταφρένῳ est ἄκνησις usq; ad lumbos.

Lumbi sunt inter λαγόνας, ubi renes sunt, & ubi cingimur. Sic enim describit Aristoteles. τῶν δὲ ὑποχονδρίων ὅπισθεν διάζωμα μὲν ἡ ὀσφύς, ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα ἔχει. Inde & cingulum nominant hanc partem.

Sub

Sub Lumbis est Regio ossis sacri. Nam os sacrum est sub dorso latum os, quod excipit ultimos spondylos, ac ueluti gestat totam corporis molem, arte miranda compositum ex sex ossibus. Nomiri autem os sacrum alij propter artificiosam compositionem, alij propter magnitudinem existimant: Aliqui arbitrantur sic adpellari, quia partum adiuuet, eo quòd eius connexus cum ossibus coxæ in parientibus aperiatur.

In medio dorsi ῥάχις, ipsa uidelicet spondylorum series, quam & ueteres Latini spinam nominarunt, sicut Celsus inquit. Caput spina excipit. Ea constat ex uertebris quatuor & uiginti. Ita loquitur & Plinius. Sed Galenus discernit ῥάχιν & ἄκανθαν. Nominat ῥάχιν proprie ipsam spondylorum seriem. His uerò additæ sunt ueluti pinnæ, quas peculiariter nominant ἄκανθαν, id est, spinam, et dicit factam esse, ut sit tanquam uallum spondylorum, seu ut ipsius utamur uerbis, χάραξ τῆς ῥάχεως. Porro ita sustinet ῥάχις omnia ossa, ut tanquam truncus & carina corporis humani esse dicatur.

σπόνδυλοι uocantur uertebræ, suntq; ossa figura uerte-

ra uertebrarum seu uerticillorum, inter caput & lumbos, quatuor & uiginti, mira arte iuncta, cauo intus, & tenui carne & membranis uestita, ut medullam contineant, quæ uocatur à Celso, Spina Medulla, à Galeno νωτιαῖος μύελος, ab Arabibus Nucha. Etsi autem adpellatio Medullæ huc translata est, tamen plurimum differunt Medullæ in cæteris ossibus proprie sic dicta, & hæc substantia in spondylis. Nam Medulla in cæteris ossibus est utilis superfluitas nutrimenti ex sanguine orta, destinata ad humectanda & ad nutrienda ossa. Sed hæc substantia in uertebris est cognata cerebro, & quasi riuus cerebri, ut Galenus inquit, ποταμὸς ἐκ πηγῆς ἐγκεφάλου. Ac oriuntur & cerebrum & hic eius riuus à semine, nec sunt destinata ad nutriendas alias partes, sed sunt corpora peculiaris & ueluti cœlestis naturæ, et Neruos procreant, qui sunt instrumenta sensus & motus localis, ut infra dicam. Sunt autem periculosissimæ læsiones spondylorum, & propter Medullam, & propter Neruos, quare singulari cura hæc pars munienda & mediocri calore fouenda est.

Coxæ seu coxendices ἰσχία sunt ipsa ossa Natium proxima lumbis, sicut testatur Celsus,

ima

ima ſpina in coxarum oſſe deſidit, quod tranſuerſum longeq; ualentiſſimum, uuluam, ueſicam, rectum inteſtinum tuetur.

Cotyla ſeu Acetabulum eſt ſinus, id eſt, cauum, in ima parte oſſis Natium, ubi infiguntur ei ſumma oſſa magni pedis. Hunc ſinum uocant Arabice, Ancam.

Nates γλοῦτοι.

Femur μηρὸς haud dubie ſignificat ſuperiorem partem magni pedis à Natibus uſq; ad Genu. Recentiores abſurdè confuderunt nomina coxæ & Femoris, & præpoſterè eis uſi ſunt. Os coxæ dicunt pro Femore, & econtra os femoris pro Coxa. Hæc mutatio in uulgaribus ſcriptis diligenter animaduertenda eſt.

Femur et coxa differunt

Totum membrum, quod uocant Magnum pedem à Natibus uſq; ad plantam, σκέλος nominatur ab Ariſtotele & à Galeno.

Genu γόνυ.

Os in genu Anterius, figura parui ſcuti, propter multas utilitates factum, patella nominatur à Celſo. Græci etiã nominarunt μύλλυρ, id eſt, Molam, qua adpellatione Pauſanias uſus eſt in hac ſignificatione, cum de Aiace inquit: Patefacto eius

pariles pe. dis magn.

patella.

poples

Crus.

Tibia

Fibula

sepulcro in littore, conspectam esse inter ossa Molam disci magnitudine, ac inde æstimatam fuisse corporis proceritatem. Ac diserte addit, Molam esse os in genu. Verba eius hæc sunt. Εἶναι δὲ μῆκος μάλιστα τὰ ἐπὶ τοῖς γόνασιν ὀστᾶ καλυμμύας δὲ ὑπὸ τῶν ἰατρῶν μύλας. Fuit autem Discus haud dubiè latior orbis, quàm talis patella in uulgari corpore.

malleoli.

tali.

Crura.

Poples ἰγνύς cauitas posterior, flectendi cruris causa facta. Crus pars à genu usq; ad Malleolos, duobus longis ossibus constans, quorum maius nominatur Tibia κνημή, alterum uerò minus est περόνη, fibula.

In posteriore cruris parte caro est, quæ sura nominatur, Waden, γαστροκνημία.

Malleoli ossa gibbosa, eminentia supra paruum pedem utrinq;, sunt processus appendicum tibiæ & fibulæ, græcè σφύρον & πέζα. Est autem uulgaris error, talos pro malleolis dicere. Sed eruditè ostendit Vuesalius discrimen, ac docet, Talos non esse eminentia ossa, quæ foris tanguntur, sed aliæ interiora, quibus malleoli inseruntur. Estq; artificiosa fabricatio. Malleoli sunt uelut septa munientia Talos. Tali uerò etsi per sese sunt immobiles, tamen adiuuant pedis flexum, quia superiore par-

malleoli & tali differ. cum

te cum

ſe cum Tibia articulum conſtituunt, cõſiſtunt autem in oſſe calcis. Figura ſimilis eſt parti rotæ, curua in parte conuexa. Poſtea in lateribus ſinus habet. Ac τέτρωρον nominant, quaſi dicas, quadrijugum, uel à quatuor lateribus, uel à rotæ ſpecie, uel certè propter uſum, quia tendines ei alligati ſunt. Et hæc oſſa quæ uerè ſunt Tali, nominantur ἀστράγαλοι. A quibus poſtea in ludis figuræ ſimiles nominatæ ſunt, quarum iactu certabatur. Et latus unum dicebatur κῶς, quod erat fœlicius, alterum χῖος, infœlicius, quod & canem nominabant. Extant in codicibus Ariſtotelis de partibus animalium, hæ adpellationes, ſed deprauatæ. Verum in libro ſecundo de cœlo, cum ait, non ſemper reſpondere euentus conatui, hanc communem ſententiam hoc exemplo ornat, ὅτι δὲ τὸ κατορθοῦν χαλεπὸν, ἢ τὸ πολλὰ ἢ τὸ πολλάκις, ὅιον πολλοὺς ἀστραγάλους κῶας βαλεῖν, ἀμήχανον, ἀλλ' ἢ ἕνα ἢ δύο.

Talus excipitur ſinu oſſis, quod calcem, ſeu calcaneum, græce πτέρναν nominamus, die ferſen, quod retro ſpectat, & ſolum proximè attingit, cum ſtamus aut incedimus.

Proxima calci, ſeu calcaneo pars eſt altior anteriore ac plana regione pedis, ταρσός. Germani den Reyen nommant.

Ἀτάρσω deinde planum pedis dicitur πέλμα & σφυρόν.

Huic proximi sunt digiti pedis.

Recitaui præcipuas adpellationes exteriorum partium corporis, & quia grammaticæ diligentiæ est, rectè uti his uocabulis, quorum aliqua imeruditè deprauata sunt: & quia hic ordo exteriorum postea lucem adfert distributioni & oeconomiæ Interiorum. Nec anxiè omnia uocabula conquisiuimus, sed his magis usitatis contenti fuimus, quia hic modus utilior uidetur rudibus & initia discentibus.

Iam interiora membra grandiora utcunq; describemus. Ac si quis hanc considerationem iudicat inutilem esse, ualde errat. Nam ut iam non dicam, plurimum eam conducere ad tuendam ualetudinem, & ad medicationem, Illud certè fatendum est, si quis de Animæ potentijs & actionibus quærendum esse putat, organa & regiones aspici oportere sciat. Multarum autem grauissimarum quæstionum explicatio in alijs artibus sumitur ex distinctione potentiarum Animæ. Vt sæpissimè dicendum est de discrimine Noticiarum & Adfectuum, quod ut aliquo modo intelligatur, regiones diuersæ monstrandæ sunt. Et si res

alias

alias extra nos, ut Leones aut ceruos, aut arbores ac herbas nosse iuuat, cur non existimamus præclarum esse, & nostri corporis fabricationem aspicere, præsertim cum Deus mirificam artem in ea adhibuerit, & hæc ars illustre testimonium sit de Deo, ostendens nequaquam casu homines hoc modo ex Atomis conflatos esse. Vide enim quàm concinnus ordo sit, & quales in ipso ordine picturæ propositæ sint. Vt enim tres sunt uelut uentres functionum præcipuarum, Infimus seruit nutritioni, & generationi, Secundus, in quo cor est, ciet motus & defensionem, Tertius, in quo cerebrum est, continet maximarum rerum noticiam: Sic in uita sit aliqua cura quærendi uictus & conseruandi corporis, & propagandæ speciei. Sed non sit hæc sola cura, uerum dominetur sapientia, quæ monstrat omnium actionum Normas, hæc est in cerebro. Et cor habeat motus & adfectus iudicio obtemperantes.

Et quia harum trium partium adpellationes usitatissimæ sunt, & sæpè repetendæ erunt, hîc initio eas recitabo.

Supremam partem, in qua est cognitio, ratiocinatio, iudicium, libertas electionis, Plato nominat ἡγεμονικὸν, *& hanc attribuit cerebro.*

Secundam partem propriam cordi, nominat

Hesens
satellites
rationis.

θυμικὸν, quia cor ciet adfectus sensuum, quos nominat Satellites rationis. Et sunt additi consilio, ut sint ministri & exequutores rationis. Cum quali ita congruere cor debebat, ut, iubente ea, suos motus cieret, & lætaretur rectè faciendo, & doleret secus faciendo. Sed sæpe est contumax, & incenditur suis quibusdam motibus contra consilium, ut infra dicam. Sed tamen singulari consilio Dei uestigium ordinis ab ipso conditi manet insigne & admirandum. Post facta redit ordo. Cum ratio improbat scelus, iam cor fit uindex, & ingenti dolore suam contumaciam punit, uult enim Deus inchoari in nobis scelerum pœnas.

Infima pars nominatur ἐπιθυμητικὸν, quia continet adpetitiones uegetatiuæ facultatis, famem & sitim. Ideoq; Plato & φάτνην, id est, præsepe nuncupat, quia nutrimentum excipit, & præparatum in reliquum corpus transmittit.

Ordinem uerò accommodat ad Voces in cantu, ὑπάτην, μέσην, καὶ νήτην. Maximè stabilis est ὑπάτη, cui tribuit ἡγεμονικὸν, quod noticias continet certas & firmas. Deinde ad μέσην confert cor, quia alias rationi obtemperat, aliàs est contumax. Longissimè uerò abest à cerebro uenter, &

ter, & fames & ſitis minus reguntur conſilio. Ideo infimam partem confert ad νήτην, ſeu νεάτην, id eſt, ultimam.

De Ventriculo κοιλίᾳ, γάστρῃ.

Ordimur à Ventriculo, quia eius utilitas notiſſima eſt. Ac primum de figura & ſitu, poſtea de ſubſtantia & utilitatibus dicam.

Ventriculus, qui cibos tranſmiſſos excipit, & primum alterat, ſub diaphragmate ſitus eſt uerſus dextrum. Eſtq; figura rotunda, oblonga, ſed nonnihil ampliore fundo. Deinde paulatim anguſtior, erigens ſe uerſus ſiniſtrum latus. Inſeritur autem uentriculo anguſtus canalis, continuus corpori uentriculi, figura inuerſæ tubæ, qui ad fauces uſq; non quidem recta, ſed nonnihil cedens uenæ Aortæ, tendit. Hic canalis nominatur οἰσοφάγος propria adpellatione, quod per eum cibi uehantur ab ore in uentriculum. Habet autem οἰσοφάγος & nomen ſtomachi. Significat enim σόμαχος generaliter tales canales. Ac de his adpellationibus ſupra dictum eſt.

Habet uentriculus duo orificia ſeu hoſtia. Alterum factum accipiendi cibi & potus causa, quod nominant ſuperius, quia aliquanto elatiore loco

est quàm alterum. Est autem situm ad sinistram sed pene media regione in illa superficie uentriculi, ubi mox sub diaphragmate inseritur oesophagus uentriculo. Alterum hostium factum, ut eucbat chylum & superfluitates, nominatur πυλωρὸς, hoc est, ianitor, quod nominant inferius. Sed est ad dextram situm, nec multo depressius est priore. Non enim in imum fundum collocatum est, sed aliquanto altius positum est, ut nutrimentum in fundo contineri, foueri, & coqui posset. Et accepto cibo ac potu claudi solent hæc hostia ambo, ut calor intus contineatur. Ac superius hostium eò clauditur, quia uilli seu fibræ, seu ἶνες in imo oesophago sunt obliquæ, quæ seruiunt constrictioni.

Et quia mox dicendum est de uillis seu fibris, in tunicis uentriculi, hîc obiter monendi sunt lectores, Villos, quos alij fibras, græci ἶνας nominant, triplices esse. Rectos εὐθείας, qui secundum membri longitudinem, quò motus ducendus est, recti sunt. Hi miranda & arcana ui naturæ attrahunt. Transuersos, ἐγκαρσίας, qui alteros secundum longitudinẽ ductos secant ad angulos rectos. Hi coarctant partem superiorem corporis, et expellunt. Obliquos λοξὰς, qui ductos secundum longitudinem secant ad angulos obliquos. Hi quia totum cor

pus co-

pus coarctant, uim habent retinendi. Talis est igitur series & fabricatio uillorum in partibus in œsophago & uentriculi tunicis, quæ adiuuat usum naturæ conuenientem. In imo œsophago, uilli obliqui claudunt uentriculi orificium.

Estq; adhibenda diligentia, ut uitemus causas, quæ illam claudendi facultatem languefaciunt, ut nimia madefactio, ac intempestiua post tempora prandij & cœnæ infusio potus aut pomorum, aut corporis motus uehementior. Nam hiante uentriculo, mala fit coctio, non solum quia fumi exhalant, & calor dißipatur, sed etiam quia paulatim uilli ipsi fiunt laxiores.

Tunicæ duæ sunt uentriculi, ex substantia partim carnea, partim neruea. Interior uerò tunica neruosior, & spißior est. Villos habet rectos, quibus ceu digitis atrahit cibum. In exteriore parte uillos habet obliquos, qui retentioni seruiunt. Exterior tunica magis est carnosa, quæ uillos habet transuersos, expulsionis causa factos.

Situs est uentriculus inter Epar & splenem, ita ut in dextro latere Epar incumbat uentriculo, & eum pinnis suis amplectatur & calefaciat.

In sinistro latere splen est. Ac situs admonet, quare sumpto cibo prosit cubare in dextro latere, cum enim in sinistro sit orificium adiunctum oesopha= go, cum in ea parte cubamus, ruere cibum uer= sus orificium sentimus, quod non est utile. Magis etiam calefit fundus uentriculi, qui pronus in dextrum latus flectitur, cum ea pars cubando premitur.

Temperamentum uentriculi frigidum & sic= cum est, conueniens naturæ neruosæ, quam habet primum sensus causa, ut rebus conuenientibus ad= ficiatur, & res non conuenientes auersetur. Deim= de, ut adpetentia & efficacia maior sit. Præterea ut sit durior, ne ciborum asperitate offendatur. Habet autem & natiuum calorem. Nam & exte= rior Tunica calidior est, & calefit uentriculus à uicinis membris, ab Epate, Splene, Corde, Dia= phragmate, quod adsiduè agitatur, Item ab Omen= to, præterea & à spiritu, qui copiosus in uentri= culum infunditur, propterea quòd colligatus est uicinis membris per uenas & arterias.

Vtilitas minimè obscura est. Seruit enim po= tentiæ Nutritiuæ. Quare uim natiuam habet ap= petendi cibi, cuius appetitionis sensus inest ori= ficio.

ficio, in quod multi nerui à cerebro demissi intexuntur. Cum igitur exhausta membra nutrimentum desiderant, & attrahere conantur ex uenis, uenæ ex Epate, Epar ex intestinis, intestina ex uentriculo, uentriculus ab orificio, fit corrugatio in orificio propter suctionem uenarum, In ea corrugatione propter neruos sensus ac dolor excitatur, qui est fames, & irritat animal ad quærendum cibum. Fames.

Aiunt autem & irritari in orificio adpetentiam melancholia eò effusa, quæ est acris. Et existimarunt aliqui, grandiusculam uenam ex splene in orificium uentriculi ob eam causam porrigi, ut magna eò copia infundatur. Sed certum est, uenam, quæ ex splene in uentriculum ducitur, mox inferi uentriculo in latere sinistro, non procul à fundo. Ac necessariam esse eius fabricationis causam, ut superfluitas ex splene euehatur. Vtilitas uerò est, ut iuuet facultatem retentiuam in imo. Parui autem surculi pilorum modo etiam ab hac uena serpunt ad orificium uentriculi, ubi consentaneum est, & nonnihil irritari adpetentiam exiguis riuulis atræ bilis.

Cum autem copiosior melancholia in uentriculum

lum eructat, ut hîc uidimus uiro clarißimo Caſpa-
ro Crucigero tantam copiam inſluere, ut uirtus
uentriculi penitus extingueretur, id quoq; fit per
eam uenam, quam diximus ſiniſtro lateri non pro-
cul à fundo inſertam eſſe.

Morbus D. Crucigeri.

Vt autem alibi in genere dicemus, quatuor eſſe
membrorum facultates, Attractiuam, Retenti-
uam, Alteratiuam, & Expulſiuam, ita & de Ven-
triculo ſciendũ eſt, naturales facultates in eo eſſe,
uim attrahendi cibos, ac deinde retinendi &
alterandi, & facta alteratione tranſuehendi nu-
trimentum, et expellendi ſuperflua. Suntq; ut dixi,
ulli ſeu fibræ ad attrahendum, retinendum, &
expellendum conditæ. Ac uim attrahendi etſi &
alia ſigna oſtendunt, tamen & hoc illuſtre indi-
cium eſt, quòd in piſcibus, qui nominantur χάννοι
ſeu Hiatuli, cum auidius perſequuntur prædam, ita
mouetur uentriculus ipſa appetitione, ut in os
procidat. Quo exemplo & uentriculi natura
monſtratur, & pingitur imago Helluonum. Vis
autem alterandi præcipua eſt, quæ cibum mutat
in liquorem. Id enim Græcis ſignificat χύλος,
qui quidem ſimilis eſt cremori ptiſanæ, &
hunc coquit tantiſper, donec maturuit, ut tranſ-
mitti ad Epar poſſit. Fitq; ea coctio primum ui

natiua

natiua uentriculi, quod ex eo adparet, quia totus uentriculus miro modo uniuersum cibum amplectitur ac fouet, ueluti Matrix tota amplectitur fœtum. Adiuuatur autem uirtus natiua, & foue-tur eo spiritu, quem aduehunt arteriæ in corpus uentriculi sparsæ. Deinde & calore, quem augent uicina membra, Epar, splen, et diaphragma, mus-culi abdominis & lumborum. Cumq; maturuit Chylus, aperitur pylorus, & euehit chylum in duodenum intestinum. Deinde in Ieiunum, ibi ue-næ Mesaraicæ rapiunt eum, & transuehunt ad Epar. Superfluitas uerò expellitur in cœcum in-testinum. Feces deinde in cœtera deijciuntur.

Dictum est breuiter de uentriculo & eius offi-cijs. Priusquam uerò ad Epar accedimus, in quo deinde altera fit coctio, prius recensebo duo tegu-menta uentriculi, magno consilio à Natura con-dita, ad muniendum uentrem & intestina.

Omentum.

Vetustas dixit obmentare, ut legimus apud Sextum Pompeium. Inde est ommentum geminata litera, m, id est, tegumentum, siue ab obmanendo, siue à mantica. Hac igitur adpellatione nuncupa-ta est tunica seu panniculus proximè tegens uen-triculum & intestina, qui cum similis sit marsu-

pio, pars

pio, pars ſubſtrata uentriculo iuncta anteriori parti tegit inteſtina, & porrigitur ad pubem uſq;.

Eſtq; autem ſubſtantia Neruoſa, plena uenis & arterijs, quas uehit in uentriculum & ſplenem: Et circumfuſa eſt ei pinguedo copioſa.

Vtilitas eſt, ut innatum uentriculi & inteſtinorum calorem concluſum teneat, & ſuo eum calore augeat. Galenus experimento probat, ommentum conditum eſſe, ut calefaciat. Ait enim gladiatori partem præciſam eſſe, qui etſi uiuebat, tamen poſtea minus concoquere potuit, et adſiduè geſſit impoſita uentri tegumenta ex lana facta. Græci ommentum nominant ἐπίπλοον, quia propter pinguedinem quaſi innatat uentri. Arabes zirbum nominauerunt.

περιτόναιον.

Vndiq; circundat uentrem inferiorem alia tunica, uidelicet uentriculum, inteſtina, ommentum Epar, Splenem, renes, inuoluens hæc membra, inde uſq; á diaphragmate ad os pubis, orta à Ligamentis connectentibus uertebras lumborum, & ad eas adfixa. Arabes nominant ſiphac.

Vtilitas eius eſt, ut alliget & ſuſpendat ad dorſum membra uentris inferioris. Et ab ea oritur membrana inferior diaphragmatis.

Præterea

Præterea in exteriori ſuperficie peritonæon ſuſtinet muſculos motus cauſa factos, & eos ab inteſtinis ſeparat, ne inteſtina uel impediantur, uel motum impediant, & cruciatus efficiant. Supra muſculos carnoſa membrana eſt, deinde Adeps, poſtea cutis δέρμα, deinde ἐπίδερμις.

Inteſtina ἔντερα.

Proxima uentriculo ſunt & inteſtina, quorum tunicæ uentriculo continuæ ſunt. Et quanquam ipſa quoq; continua ſunt, tamen figura, ſitu, & officijs differunt. Ac tria ſuperiora gracilia ſunt, quia cum facta ſint, ut in eis tranſuehatur chylus, & ut Galenus nominat, ἀναδόσεως cauſa, ut facilior ſit tranſitus, graciliora eſſe proderat. Præterea cum & in ipſo tranſitu coctio aliqua fiat, facilius caleſiunt propter gracilitatem.

Reliqua inferiora ſunt magis carnoſa & craſſiora, quia euehunt excrementa.

Primum, Duodenum ab Herophilo nominatum eſſe ſcribunt, quia longitudo eius ſit digitorum duodecim. Galenus nominat ἔκφυσιν, quaſi dicas exortum ſeu proceſſum. A pyloro, id eſt, orificio uentriculi altero oritur, & ſurſum in dextra parte uerſus dorſum porrigitur, ut aligari

ligari firmius posit. Præterea ut ad bilis meatum in Epatis regione aptè locatum sit. Nam ubi desinit duodenum, in ipso Ieiuni initio, meatus est ex uesicula fellis, ut bilis cibum pellat, & intestinum mundificet.

Ieiunum.

Duodeno continuum est Ieiunum, νῆστις, quod sub Epate habet spiras aliquas, deinde aliquanto rectius porrigitur ad Epar. Nominatur autem Ieiunum, non quòd prorsus inane sit, sed quia citius inde rapitur chylus à uenis Mesaraicis, quarum maior numerus in hoc intestinum inseritur, & reliquum à bile pellitur, quæ non miscetur chylo, sed fluit in lateribus intestini in colon usq;, ut pellat excrementa, & abstergat intestina.

Bilis statim in exordio Ieiuni.

εἴλεος.

Tertium intestinum nominatur εἴλεος, non solum quia in eo gyri sunt plurimi, sed etiam quia uariè impliciti sunt Mesenterio, unde multæ uenæ in εἴλεον inseruntur. Habet autem usum eundem quem habet Ieiunum, ut transmittat Chylum. Sed hoc interest, Ieiunum citius exugitur. Verum εἴλεος diutius retinet chylum, quam ob causam & longius est, & plures anfractus habet, ut chylum

lum magis coquat, & diutius suppeditet alimentum, ne opus sit mox ingerere alios cibos. Plato inquit hoc consilio fabricatos esse hos gyros, ne si statim alij cibi ingerendi essent, uitam ageremus ἀφιλόσοφον καὶ ἄμουσον. Apud Hippocratem & Galenum εἴλεος est morbi nomen, non intestini. Sicut enim in alio crasso intestino, quod κόλον nominatur, fiunt dolores κολικοὶ. Ita in hoc gracili intestino similis morbus existit admodum periculosus, cum fiunt obstructiones, ne quid expelli possit, aut sunt ibi uiscosi ac mordaces humores, Vulgo nominant Iliacum morbum, qui circa umbilicum sentitur.

Intestina crassiora.

In canibus, porcis, & crudiuoris animantibus intestinum quod cœcum nominant, maius esse conspicitur, quòd in talibus excrementa excipit ex Ileo, & cum inde rursus aliquid nutrimenti exhaustum est, reliquæ feces expelluntur in κόλον. Dicitur autem τυφλὸν, quia unicum habet foramen, quod & excipit illapsa ex Ileo, & rursus emittit in κόλον. Nam orificia Ilei, cœci & coli coëunt in una cauitate. In homine uerò narrant paruam appendicem esse Ilei, nec conspicuum.

Κῶλον.

Etsi Medicorum libri scribunt κῶλον, prima syllaba longa, cum nominant intestinum secundum crassius, tamen ex Aristophanis uersibus apparet scribendum esse κόλον, prima syllaba breui, quasi κολεός, id est, uagina, seu quasi truncatum κολοβόν, quia uelut sectū in diuersas cellulas, uarios flexus habet. Excipit enim feces seu excrementa, & ne statim effluant, paulatim in angustiores meatus transmittit. Ac aridira stercora, quæ usitatè nominantur σκύβαλα, quasi dicas canum excrementa, imitantur figuras cellularum, & sunt similia globulis.

Colici dolores.

Influit autem Bilis ex Ieiuno in κόλον, qua stercus pellitur & coloratur. Inde & colici dolores nomen habent. Ibi enim fiunt, cum oppilantur meatus à frigidis, crassis, uiscosis humoribus, ac sentiuntur hi cruciatus supra umbilicum.

Rectum intestinum.

Etsi colo rectum intestinum continuum est, tamen cum situ & figura discernatur, propria ei adpellatio attributa est. Rectum intestinum græcè ἀπευθυσμένον, id est, directum. Veteribus ignotum est, uocabulum Longaon, quo uulgo utuntur.

Ductus

Ductus autem rectus est, ut nomen sonat. Nam postquam κόλον ab Epate uersus renem sinistrum reflectitur, ibi ossi sacro & renum spondylis alligatur hoc rectum intestinum, & porrigitur ad anum usq; uel sedem, quam nominat Galenus σφιγκτῆρα, à constringendo, quia Musculis constringitur sedes, ut sit munita contra præcipites & inuoluntarios profluxus. Vtilitas autem eius est euehere stercus.

Sunt autem Tunicæ intestinorum substantiæ panicularis propinquæ carni, & neruosæ, ac fibras habent transuersas, quæ expulsionem adiuuant. Sed exterior tunica coli & recti intestini etiam rectas fibras habet, quæ iuuant attractionem, ut euehenda stercora ex superioribus locis attrahant.

Tunicæ intestinorum.

Μεσεντέριον.

Mesenterium nequaquam intestinum est, sed implicitus intestinis panniculus à Peritoneo ortus, neruosus, continens carnem glandulosam & pinguedinem, gestans, distinguens, & dorso alligans intestina, præcipuè uerò, ut uenas Mesaraicas, arterias & neruos gerat. Vt enim à truncis arborum porriguntur in terram radices, ut nutrimentum

attrahant, ita rami à porta Epatis sparsi per Mesenterium adhæreſcunt inteſtinis, ceu radiculæ, & inde nutrimentum attrahunt.

Cum autem interuallum ſit inter Epar & inteſtina, opus fuit fulcro ſeu ſtragulo illis canalibus, qui ab Epate procedunt. Duo igitur Rami, alter uenæ Portæ, alter Arteriæ, inſeruntur in centrum Meſenterij, ubi plurimæ propagines uenarum & arteriarum anguſtæ ab illis ramis in centro naſcentes per totum Meſenterium ſparguntur, & adhæreſcunt inteſtinis.

Caro autem glanduloſa, & pinguedo non ſolum muniendi cauſa conditæ ſunt, ſed etiam ut humectent inteſtina, & calorem conſeruent, tum uenarum, tum inteſtinorum. Sunt autem uenis adiunctæ arteriæ, ut calorem præbeant tum ipſis uenis coquentibus chylum, tum uerò inteſtinis. Nerui autem ſenſum præbent inteſtinis. Venæ hauriunt chylum, & uicißim nutriunt inteſtina, ac nominantur Manus Epatis, quia rapiunt ex inteſtinis chylum, & in Epar tranſmittunt.

Arteriæ
Nerui
Venæ

Poſtquam autem forma operis & utilitas nota eſt, uocabulorum ratio facilè intelligi poteſt. Με-

σεντέριον

σεντέριον dicitur, quia panniculus est arte implicatus intestinis, & uelut in medio stragulum. Sed μεσάραιον, quia ex centro plurimæ angustæ propagines uenarum & arteriarum spargunt. Nam ἀραιὸν significat exile, uel tenue. Inde nomen est uenis Mesaraicis, id est, exilibus, quæ ibi in Mensenterio sparsæ, tendunt ad intestina.

πάγκρεας seu καλλίκρεας.

Dixi membranis Mesenterij additam esse carnem glandulosam explentem loca uacua inter uentriculum, Epar & splenem, ut sustineat & muniat uenas Mesaraicas. Huic carni glandulosæ nomen peculiare attributum est, πάγκρεας seu καλλίκρεας. Arabes nominant Eucarum, fortassis deprauato nomine, à græco καλλίκρεας.

Epar. Iecur.

Generosum membrum est Epar, & inter organa Nutritiuæ potentiæ nominatur præcipuum, quia est officina sanguinis.

Est autem substantia eius caro rubra, propemodum ut coagulatus sanguis, sed tamen sua natura quiddam perfectum. Ac in totam eius carnem ceu rete quoddam, plurimæ uenæ sparsæ sunt,

quarum aliæ tendunt ad imam partem, ubi meatus est accipiens chylum, in quo meatu uena est amplior, cui nomen est uena portæ, in hanc paruæ illæ propagines ex corpore Epatis coëunt. Ac nomen est Portæ huic uenæ, quia per eam inuehitur chylus in Epar. Aliæ sursum tendunt in gibbum Epatis, & coëunt in amplam uenam, quæ nominatur uena Caua, græce κοιλὴ, quæ sanguinem uehit ad cor, ut postea dicetur. Hanc uenam κοιλὴν, Galenus existimat primum uenarum initium esse.

Percoquitur autem chylus in his paruis uenulis in corpore Epatis, & in sanguinem conuertitur. Ac propria causa conuertens chylum, est ipsa Epatis caro, quæ sua specifica uirtute organum est generandi sanguinis, quo corpus nutriendum est. Transformat igitur chylum, & tanquam sibi assimilans rubrum efficit. Estq; temperamentum epatis calidum & humidum, conueniens & elixationi, & ipsi sanguini. Suntq; deductæ paruæ arteriæ in epar ab Aorta, ut spiritus uitales & calorem uitalem Epati adferant, ut conuersio uirtute cordis, spirituum & caloris adiuuetur. Ideo autem paruæ sunt, quia non hauriunt ibi sanguinem, sed aduehunt spiritum, &

præbent

præbent uiam emittendis halitibus, seu ad euentandum. Inseruntur & duo Nerui in tunicam Epatis, raris ac modicis surculis, quorum alter in corpus Epatis transmittitur, ne prorsus sit sine sensu.

Est autem figura semicirculi, seu uelut Lunæ prodeuntis à coniunctione, & sub diaphragmate situm est in dextro Hypochondrio. Forma Epatis.

Ostendunt autem oculi, Epar porcinum scindi in plures pinnas. Sed humanum epar scribit VVesalius non prorsus simile esse porcino, sed unam eius esse sectionem initio circa superius orificium uentriculi. Has accuratas descriptiones reijcimus ad inspectionem, hìc enim initia rudibus traduntur, ne prorsus ignota sint præcipuarum actionum domicilia & sedes in homine. Qui uerò dixerunt, pinnas seu λόβους Epatis quinq; seu quatuor esse, nomina etiam singulis attribuerunt. Primæ pinnæ adpellatio apud illos est Focus, quòd ibi initium fiat coctionis. Secunda dicitur Mensa, quòd iam incipiat ibi confluere nutrimentũ. Tertia culter, quòd ibi diuidantur humores. Quarta auriga, quia ad uenam cauam transfectio ibi fiat. Etsi autẽ hæ pinnulæ commentitiæ esse dicuntur, tamen has adpellationes diuersarum functionum recitaui, quia hi qui eas tradiderunt, ordinem actionum cogita-

Pinnæ Epatis quinq;

runt, etiamsi Epatis figura sciſſas hoc modo partes non haberet.

Omitto etiam diſputationem de uenarum origine, quarũ eſſe initium, & ueluti truncum Galenus exiſtimat cauam uenam, quæ eſt in ſuperiore parte Epatis. Hoc uerò certum eſt, hanc eſſe canalem, quo ſangnis primum euehitur ad nutrienda cœtera membra. Aſcendit autem caua uena per diaphragma. Eſtq; continua dextro uentriculo cordis, Inde ſurſum & deorſum rami propagantur. Vlyſſes inquit ſe deliberaſſe, an ea parte confoderet Cyclopem, ubi epar iunctũ eſt phrenibus, hoc eſt, diaphragmati, quia perfoſſa uena caua, ſtatim extinctus eſſet Cyclops, deſiſſet enim ali beneficio cauæ uenæ, & ſtrangulatus eſſet ſanguine effuſo extra ſuos canales. Verſus eſt in Nono Odyſſeæ, ὀυτάμενον πρὸς σῆθος, ὅθι φρένες ἦπαρ ἔχουσιν.

Fit in too corpore Epatis in uenulis generatio maſſæ ſanguineæ, in qua ut poſtea de humoribus dici prolixius neceſſe erit, ſunt diſſimiles humores quatuor, quod Galenus deſcribens uenuſtiſſima ſimilitudine Muſti uſus eſt. Vt in muſtis efferueſcentibus ebullire uidemus id, quod tenuius eſt, & ſpumæ ſimile, quod ipſe nominat ἄνθος, deinde quiddam ineſſe aquoſum, ſubſidere etiam feces,

feces. & præter hæc uimi ſubſtantiam eſſe purius quiddam, & melius temperatum: Ita in maſſa ſanguinea totidem ſunt humorum diſcrimina. Leuior ſpuma eſt bilis flaua. Humor ſubaquoſus nominatur phlegma. Feces bilis atra. Sanguis uerò, pars optima, temperatè calida & humida, dulcis, & præcipua pars nutrimenti. Etſi autem ex ſingulis partibus aliqui riuuli unà cum ſanguine in nutritione uehuntur, tamen ut maſſa nutritioni deſtinata ſit purior, prius in Epate fit ſegregatio. Sunt enim & alij uſus flauæ & atræ bilis. Ideo uicina uaſa condita ſunt, fitq; purificatio ſanguinis in media parte Epatis.

Veſica Fellis.

κύστις χοληδόχος.

In medio Epate eſt folliculus longiuſculo pyro ſimilis, qui Fel, id eſt, flauam bilem excipit. Tunica eſt una firmiuſcula, habens triplices fibras. Duo autem rami ſeu canales porriguntur à collo huius folliculi, quorum alter ſurſum ducitur ad ſurculos uenæ portæ, ubi & ipſe in multos ſurculos ſpargitur, & haurit flauam bilem in purificatione ſanguinis.

Alter deorſum ducitur, ac inſeritur inteſtino

duodeno, non procul ab initio Ieiuni, ut bilem eò aduehat, pellentem nutrimentum, & fluentem postea in κόλον, ut pellat excrementa, & abstergat intestina.

Vtilitas huius fabricationis in conspectu est. Necesse est in purificatione sanguinis aliquò deriuari flauam bilem copiosiorem. Erat igitur opus receptaculo, in quo bilis etiam calefacit Epar, et putrefactionem prohibet. Deinde pellit nutrimentum in duodeno, & pellit excrementa, & abstergit sordes in cæteris intestinis. Et ostendit experientia, quanta sit necessitas, huius fabricationis. Nam cum obstruuntur hi canales, magni morbi sequuntur, Ictericus, inflammatio Epatis, Hydrops.

Tradit Galenus etiam ab altero ramo propaginem in Ventriculum paucissimis quibusdam duci, & his propter bilem largiter influentem in ventriculum, nasci in eo multam prasinam bilem, & impediri coctionem, & accidere crebros uomitus, & ἀξοφίαν. Sed hæc rara exempla omitto.

Regulare est non duci ramum ex folliculo fellis in uentriculum, quia flaua bilis cum sit acris, mordax, & dissipatrix, turbaret coctionem. At uentriculo quiete opus est ad fouendum & coquendum

quendum chylum. Ideo ſapienter cauit architectatrix natura, ne ex folliculo fellis ramum in uentriculum duceret. Sed naſcitur interdum in uentriculo praſina bilis ex aduſta pituita & ſuperfluitatibus alijs, quæ non adfluit ex felle, quæ eſt admodum infeſta uentriculo, & in uomitu ſæpè eijcitur, ut infra dicemus. Sed in naturis biliosis, quibus maior eſt hic folliculus, & multum bilis in ſanguinem regurgitat, fieri poteſt, ut ex duodeno aliquid bilis in uentriculum quoq; aſcendat.

Splen. Lien.

In ſiniſtro Hypochondrio ſplen ſitus eſt, ea parte uentriculum amplectens, alligatus dorſo & coſtis mendoſis, conditus autem propter hanc præcipuam utilitatem, ut feculentum & limoſum ſanguinem excipiat, quam ob cauſam & uena grandiuſcula ducitur à uena portæ in ſplenem, qui canalis eſt huius limoſi ſanguinis. Adfluentem autem caro ſplenis rurſus coquit, & ex meliore eius parte nutritur. Nam & arterijs ab Aorta deſcendentibus calefit ac adiuuatur. Reliquum partim retinet, partim eructat in imum uentriculum, ut ſupra dixi, ex ſple-

Splenis officium.

ex ſplene in fundū uentriculi uenam duci, qua bilis atræ pars emittitur, ut inde ex corpore expelli poſsit. Quòd uerò alij de ramo in orificium Ventriculi porrecto dicunt, commenticium eſſe exiſtimatur.

Vtile eſt autem huius uiſceris accidentia conſiderare, quia hominibus anxijs cura & dolore ſeu mœſtis crebrò accidunt hypochondrij dolores, quos cum intelligunt, facilior eſt medicatio. Nec leue periculum eſt, huius morbi cauſas ignorantibus. Fiunt enim obſtructiones in uena, quæ ab Epate ad ſplenem ducitur, propter quas cum purgari Epar non poſsit, actio tota Epatis impeditur, & paulatim Epar corrumpitur, & egeſtiones intercluduntur, et fumi aſcendunt in cerebrum, & errores in cerebro efficiunt. Hoc malum Arabes nominant Melancholiam Mirachiam. Cognita autem cauſa, occurri poteſt mitijs. Ac multa digna admiratione in hoc morbo concurrunt. Talis eſt ordo in corpore humano, Sicut in ira cor pellens ſanguinem & effundens ſpiritus, ſimul ciet rubram bilem in ueſica fellis: Ita contrario modo in mœſticia, cum refugit ſanguis ad cor, quod quaſi compreſſum areſit, & conſumptione ſpirituū langueſcit, cietur atra bilis in ſplene & effunditur. Hæc ipſa effuſio dolores efficit in hyochondrijs, & facit

& facit obstructiones exitiosas. Sed initio mœsti-
tiæ cordis repugnandum est, & diligentia adhi-
benda, ne intercludatur egestio. Hæc ideo reci-
tamus, quia usitatissimum est in mœsticia hunc
morbum & hæc pericula accidere. Exempla adeo
creòra sunt, ut hîc nomina eorum recitare nolim,
quos uidimus hoc morbo laborare. Et quidam ad-
moniti de causis, cum antea morbum non intelli-
gerent, facilius postea liberati sunt.

Renes νέφροι.

Adhuc recitamus membra, in quæ euehuntur
superfluitates, quæ in Epate primum sangui
mixtæ sunt. Alimentum est sangumis, subaquosus
humor nondum percoctus, quem nominant utile
phlegma, καὶ κατὰ φύσιν & uehitur unâ, ut
uertatur in sanguinem, & faciat tenuiorem, ut
sanguis penetrare uenas possit. Labitur autem si-
mul excrementum ex tota massa sangumea tenuis-
simum aqueum, cuius nulla est utilitas amplius,
propter nimiam tenuitatem, quod nominant sero-
sam superfluitatem, ὀρρῶδες περίττωμα, quod
est quiddam sudori simile, ut græci nominant ὄρ-
ρον, quod tantisper dum uenit ad cauam uenam,
adiuuat transitum sua tenuitate. Postea uerò cum
ex Epate ad cauam uenam sanguis peruenit, iam

hæc

hæc ſeroſa humiditas copioſa, quæ fit urina, euehitur. Oriuntur n. à caua uena præter alios ramos, & duo ampli Rami, figura literæ Λ, qui nominantur uenæ emulgentes, quæ hanc ſeroſam ſuperfluitatem ſegregatam à ſanguine excipiunt, & ad Renes tranſmittunt. Simul autem aliquid ſanguinis eò influit, ad nutriendos renes, eſtq; bilis admixta ſanguini.

Tendunt igitur uenæ emulgentes ad duos renes, quorum alter ſub Epate, alter ſub ſplene ſitus eſt. Eſtque eorum ſubſtantia carnea, ſolida, denſa, ne diſſoluatur ab aquoſa & à bilioſa ſuperfluitate, & ut Galenus inquit, ne ſanguis, quo renes nutriendi ſunt, unà cum aquoſa ſuperfluitate extillet. Additæ ſunt renibus maiuſculæ arteriæ, quæ ſpiritum & calorem ſuppeditant, ut renes percolare excrementum, & conuertere ſanguinem in nutrimentum poßint.

Eſt autem in medio renum cauitas tanquam lacuna huius uſus cauſa facta. Nam uenæ emulgentes non ſunt in cauitatem demiſſæ, ſed ſtatim ubi renum carnem attigerunt, ſparguntur in multas exiles uenas, quibus renes ſanguinem illum aquæ permixtum accipiunt, ut ſanguine nutriantur, quo defecato, aqua & bilis in lacunam illam exudant. Ab ea lacuna inchoatur in quolibet rene

longus

longus canalis, descendens ad uesicam. Hi duo meatus nominantur οὐρητῆρες, id est, urinarij, quia per eos defluit urina in uesicam. Quæ quia iam à sanguine segregata est, colorem aquæ habet, sed à bile tingitur. Ideo nonnihil flaua est, & acris.

Vt autem in terra gignuntur saxa, ex terra & humore pingui, seu magis, seu minus usto, uel ut in caminis coquuntur lateres: Ita in renibus ac plærunq; in Lacuna, gignuntur calculi terrestri & glutinoso humore, qualis præcipuè ex salsamentis aut frixis excoquitur. Inde cum subsidit in renibus coagulum, renes immoderatè calidi tum natura, tum propter obstructionem, durant eam molem, sicut lateres igni durantur. Et quia in angustis illis cauernis, & postea in ureteribus nerui distenduntur, interdum etiam urina impeditur, læsio neruorum ingentes cruciatus efficit. Et quia hic dolor peruenit ad uicina membra, uentriculus etiam adficitur, & uomitus cientur. Hæc commemoraui, ut studiosi considerent physicas causas, quomodo in Renibus calculi generentur. Sunt autem renum officia, attrahere aquosam & serosam superfluitatem ex uena cana, & deriuare urinam in uesicam.

Vesica

Vesica κύστις.

Ex renibus aduehunt urinam duo canales, qui nominantur οὐρητῆρες, id est, Vrinarij, in Vesicam, quæ condita est, ut sit receptaculum paulatim excipiens destillantem urinam, ut collectam deinde effundat. Nam si hæc superfluitas nõ euehere tur, cum corpus impletum esset, & redundaret, plæraq; membra rumperentur, imo suffocaretur homo compresso diaphragmate.

Nota est figura penè similis urnæ, cuius fundus est amplior, deinde orificium angustius.

Sita est in uiris iuxta rectum intestinum ad Anum. Inde porrigit ceruicem ad uirgam. Sed in mulieribus magis supra os matricis collocata est. Et sunt in mulieribus breuiores & ampliores urinæ meatus, quare minus ibi adficiuntur calculi doloribus.

Constat autem substantia ex Neruea membrana, intexto triplici genere fibrarum. Rectæ enim attrahunt. Obliquæ iuuant retentionem. Transuersæ expulsionem.

Sparsæ sunt in eam & uenæ & arteriæ quædam. Ceruix uesicæ carnosa est, & habet anfractus, ut facilius retineat urinam. Habet & musculum

tum unum inuoluentem eius os, factum, ut cum uolumus, urinam expellat.

Etsi autem propriè una est uesicæ tunica, tamen eam circundat & alius panniculus à περιτοναίῳ ortus. Atq; ita ureteres per utranq; tunicam infixi & sparsi sunt, ut meatus non sint rectè oppositi, ne retro fluat urina. Etsi autem in mortuis uestigia ureterum foris conspiciuntur, tamen intus membranæ eas obducunt. Conspicitur autem patulum orificium, quod factum est ad emittendam urinam. Reliquis partibus undiq; clausa est adeo, ut ne quidem aër perspiret.

Vtilitas uesicæ est, ut dixi, paulatim excipere urinam, & collectam aliquantisper retinere, & deinde effundere.

Varijs adfici morbis potest, & notabilis solutio eius lætalis est. Nascitur in ea calculus ex humore uiscoso & terrestri, qui calore duratur, & fit calculus, ut supra dictum est. Accidunt uesicæ & difficultates urinæ emittendæ, quæ dicuntur στραγγουρίαι, ab οὖρον urina, & στραγγίζειν, quod est colare, & ui guttulas exprimere. στάξ enim gutta est. Sunt & aliæ species uicinæ stranguriæ. Cum enim meatus in ceruice, qua emitti urinam oportet, obstruuntur crasso & frigido

humore, non potest emitti urina. Interdum alijs de causis hoc accidit, uel propter calculum, uel propter debilitatem uirtutis expulsiuæ.

Vasa Seminaria.

σπερματικὰ ἀγγεῖα.

Vsitatum est ordiri descriptiones partium humani corporis, ab ijs membris, quæ facta sunt, ut nutrimentum præparent & coquant. Etsi enim & horum fabricatio plena est artis & sapientiæ, tamen aliquanto minor est in hoc opificio obscuritas, quàm in cœteris. Ac sæpè, cum nos ipsos & hanc fabricationem intuemur, de hoc præcipuo consilio architecti cogitemus, quare cum homo ad immortalitatem conditus sit, illi parti, in qua fulgebit lumen sapientiæ Diuinæ, & ardebit amor Dei & iusticia in omni æternitate, culina adiuncta sit, cuius tamen postea non erit usus. Nec uerò dubium est, hanc esse causam, quia Deus in hac mortali uita inchoari uult illam æternam sapientiam & iusticiam. Excuscitemus igitur nos ad illam inchoationem, & sciamus eos, qui hæc initia iam negligunt, in omni æternitate in horrendis cruciatibus futuros esse.

Est & hoc consilium considerandum, quòd ideo nobis

nobis attributa est facultas generationis, quia uult æternam Ecclesiam colligere ex genere humano hoc modo nato. Hæc miranda consilia nunc quidem cogitanda sunt, & Deo gratiæ agendæ, quòd se patefecit, quòd ex hac massa infirma colligit æternam Ecclesiam, quòd nobis adest, nos fouet & exaudit, & non solum hanc totam rerum naturam nostra causa conseruat, fœcundat terram, & alit nos, sed multo magis, quòd se ipsum nobis impertit. Omnimo superant hæc beneficia omnium cogitationem & eloquentiam. Sed tamen excitandæ sunt mentes ad hanc considerationem, & dolendum, quòd in hac caligine hanc Dei præsentiam minus aspicimus, & minus adficimur ipsius erga nos uero & ingenti amore.

Cum autem ita ordinauerit generationem, ut certas leges addiderit, & intelligi uelit castitatem, & seuerissimè prohibeat abusum seminis, & multa miracula generationi addiderit, reuerenter hanc partem opificij in homine consideremus.

Semen animalis, est utilis superfluitas ultimi alimenti sanguinei, per totum corpus dispersi, post quartam digestionem decisa, quæ attrahitur à uasis seminarijs, & perficitur & conseruatur in

teſtibus ad generationem. Ac poſtea de ſemine *plura dicentur.* Nunc tantum ideo recitata eſt de= *finitio, ut de uaſis, quæ inde nomen habent, magis perſpicuè dici poſsit.*

Vasa ſem. in dextro latere.

In Dextro latere à *ramo uenæ cauæ infra dex=* *trum renem oritur uena.* Et *non procul, à ramo* Aortæ deſcendentis oritur *arteria, quæ paulatim concurrunt, uelut pyramidem efficientes, & ad dextrum teſtem deſcendunt.* Ac *ſimilia duo uaſa in ſiniſtro latere oriuntur, ramus uenæ ab emul=*

Vasa in ſi. iſtro.

gente ſupra ſiniſtrum renem, Arteria uerò infe= *rius, quæ ab aorta propagatur. Concurrunt autem & in hoc latere uena & arteria, & pyramidis ſpecie deſcendentes, tendunt ad ſiniſtrum teſtem, & uergunt harum pyramidum baſes ad teſtes.*

Vasa ſemi. naria.

Suntq; inuolutæ ambæ panniculis, qui à peritonæo oriuntur. Hi canales ab utroq; latere ducti, ut dixi, nominantur uaſa ſeminaria, quæ attrahunt illam utilem ſuperfluitatem ultimæ coctionis, ac præpa= *rant ad ſeminis naturam.* Ideo *& uaſa præparan=* *tia nominantur.*

Et *quia duriuſcula ſunt, non attingunt teſticu=* *los, ſed aliud quoddam uas ceu ueſicula ex panni=* *culis quibuſdam conditum eſt, quo inuoluti ſunt teſtes, quod nominatur* ἐπιδιδυμὶς, *id eſt,* Inuolucrum teſtium. *In hoc inuolucro, quod eſt*

mollius

mollius, desinunt uasa illa descendentia, et per eius poros liquor destillat in testes, qui cum sint caeuernosi & calidi, attrahunt & percoquunt semen, ut ibi albesiat, & ibi accipiat uirtutem generatiuam.

Quòd enim Aristoteles existimat, testiculos tantum attrahere semen, ut eijciatur, non conducere ad generationem, nec alterare semen, nec conferre ei uirtutem generatiuam, id Galenus iustè reprehendit. Nam & natura calidi sunt testes, & arteriæ uasorum spermaticorum transuehunt eò spiritum. Quare cũ ibi seminis natura et uirtus perficitur, tum demum habet uirtutem generatiuam. Antea liquor ille paulatim in uenis præparatur, & adhuc rubet, & naturam habet sanguini propiorem. Deinde uerò in testibus magis alteratur, & percoquitur, ac mutat calorem, & propriam seminis formam accipit.

Sciendum & hoc est, Hippocratis sententiam esse, Semen oriri à toto corpore, sanum à sanis partibus, languidum à languentibus, sed plurimum à cerebro. Nam cerebrum maximè cognatum est naturæ seminis, cum totum oriatur ex præstantissima parte seminis, plena spiritus. Est igitur inimicissima cerebro & pernicioſissima, immoderata

uenu. Verba in libro de ſemine, qui extat inter Hippocraticos, hæc ſunt. χωρέει γὰρ τὸ πλῆθος τῦ γόνυ ἀπὸ τῆ κεφαλῆς. Regulare eſt morbos certorum membrorum in natos propagari, unde adparet, materiam ſeminis ab illis membris parentum quoq; ortam eſſe.

Cum autem teſtes, qui ſunt uelut ſpongioſi, percoxerunt ſemen, rurſus in illud inuolucrum, quod uocatur ἐπιδίδυμις, exudat, quia & calore teſtium & ſuo ſpiritu incitatur. Eſt enim ſemen plenum ſpiritu.

Ab inuolucro uehitur in uaſa, quæ uocantur παραστάται, propter ſimilitudinem. Nam παραστάται ſignificant columnas iuxta ſe collocatas. Ita aſcendunt á teſtibus ad uirgam duo glanduloſi & cauernoſi canales, qui excipiunt & retinent ſemen. Ideo adpellantur uaſa conſeruantia.

Teſtes uocantur δίδυμοι, id eſt, gemelli.

Cutis extrema quæ continet uocatur teſtes, ὄσχεον, Latinè Scortum, quod non uulgo rectè ſcrotum dicunt.

Virga καυλός.

Matrix μήτρα.

Partes habet duas. Receptaculum, factum ut fœtum

fœtum continere posſit, idq; uocatur ὑστέρα. Altera pars est anguſtior, quæ est aditus longiuſculus. Ideoq; collum Matricis dicitur. Et quoniam receptaculum amplius est, qua parte uerſus collum tendit, ſunt addita cornua, ut quaſi Lunæ creſcentis figuram referat. Nam hæc cornua ſunt ligamenta, quæ matricem alligant coxis.

Habet & mulier teſticulos, ſitos iuxta hæc cornua utrinq;, minores uirilibus & frigidiores, ſed tamen ſemen quoddam generantes, quod est quidem tenuius uirili & ſubaquoſum, ſed tamen in procreatione fœtus, miſcetur uirili ſemini, eiq; uelut alimentum est, ut Galenus inquit, ut augeat uirile ſemen, & fœtus ex utroq; procreetur. Nam utrunq; ſemen & actiuè & paſſiuè ſe habet in generatione fœtus. Multum in utroq; ſpirituum ineſt, ſed uirile cum ſit calidius & minus rarum, magis ſe actiuè habet.

Amplectitur autem tota matrix fœtum, nec diſtincti ſunt in ea ſinus, ut alij narrant. Sunt autem in pecudibus orificia uenarum in matrice undiq; ſparſa, tali figura, qualis fit cauitas, piſis in ceram impreſſis. Hæc orificia propter figuram nominantur κοτυληδόνες. Quia ut amplecti poſſint fi-

bras, quibus fœtum in utero & retinent & alunt, figura ad prehendendum idonea condita est, qualis est seu cotulæ mensuræ, seu pedum Polypi.

Hæ sunt, ut dixi, in pecudibus magis conspicuæ. Sed in utero muliebri non cernuntur tam expressa orificia, sed tanquam exilia puncta, quia meatus aliquos esse oportet, per quos uenæ & arteriæ adeuehant sanguinem puriorem matrici, & per quos uicissim hauriant mamillæ partem sanguinis ex utero, quæ in lac mutatur, sicut inquit Hippocrates, Lac menstruo fraternum esse. Sunt igitur hi usus cotylidonum, adferre sanguinem puriorem matrici, alere fœtum, & secundinam apprehendere, ut fœtus in utero firmius retineatur, & uicissim ad mamillas transfundere partem sanguinis ex utero, ut in lac uertatur.

Varijs morbis adfici matrix potest, quos recitare non est huius loci. Plato eam nominat animal, quia cum sit neruosa substantia, & mirificam cognationem habeat cum cerebro, adficitur odoribus, & uarijs motibus agitatur, qui tamen ei per accidens eueniunt.

Inuolucra fœtus.

Tria sunt inuolucra fœtus. Extremum, χόριον, simile fasciæ, attingens proximè superficiem ca-

uam

uam matricis, & excipiens orificia uenarum seu κοτυληδόνας, quæ adprehendunt hanc fasciam, in quam & á fœtu tendit ὀυραγός, id est, meatus, qui ab infantis umbilico oritur, per quem tunc fœtus alitur. Ita prima fascia prehensionis & nutritionis causa condita est.

Media fascia nominatur ἀλλαντοειδής, id est, similis farcimini, condita, ut urinam excipiat, quæ primis mensibus per ὀυραγὸν effunditur, Quia enim fœtus nondum alitur per os & Oesophagum, nondum fiunt egestiones ex ano, Sed cum fiat nutrimenti transuectio per ὀυραγὸν, primum inde & superfluitas urinæ modo extillat, quæ postea per uirgam emittitur. Ne autem rodat & laceret teneram cutem in fœtu, hic secessus ordinatus est. Et tegitur fœtus tertia pelle, quæ est proxima fœtui, quæ nominatur Agnina, ἀμνεῖος, quia tenerrima est. Non igitur attingit urina fœtum tectum fascia agnina, sed in mediam pellem effunditur.

DE MEDIO VENTRE.

Hactenus recitata est descriptio infimi uentris, qui continet organa propria nutritionis & generationis, quæ sunt uelut oeconomica pars in ho-

mine. Nunc dicemus de alijs partibus, quæ sunt fontes actionum, quæ magis propriæ sunt hominis, uidelicet, cogitationum, motus & adfectuum.

Nominatur autem uenter medius illa pars, quæ intra Thoracem continetur, continens Cor, Pulmonem, Organa respirationis & uocis. Hæc pars quasi inuoluta est panniculo seu lacerto, qui adpellationes antiquas habet multas, nominatur enim græcè διάφραγμα & φρένες, Latinè septum transuersum & præcordia. Et Plato inquit, Sicut in ædificijs distinctæ fuerunt interstitio habitationes uirorum & mulierum, ita φρένες sunt interstitium inter partem præstantiorem seu magis uirilem, & alteram inferiorem, quæ est tanquam culina. Enarratum est & supra uocabulum φρένες, ubi & Homeri dictum de Cyclope recitatum est. Ideo hîc omitto longiorem de eo commemorationem.

Est igitur διάφραγμα substantia carnea, duabus contexta membranis, dorso circa duodecimum spondylum alligata, ascendens autem in parte anteriore usq; ad carthilaginem, quæ nominatur ξιφοειδὴς, ubi ossibus pectoris in imo alligatur.

Foramina tria habet. Vnum in dextro latere, quo

quo transmittit uenam cauam, unde sanguis ad Cor transuehitur.

Secundum foramen aliquanto inferius altero, in latere sinistro transmittit Oesophagum ad Ventriculum.

Tertium uerò uicimum duodecimo spondylo, transmittens ramum Aortæ descendentem & uenam ἄζυγον.

Vtilitates multæ sunt. Præcipua est, quòd munit illas generosas partes. Altera, quòd mouet thoracem, ideoq; musculosa substantia est, & motu thoracis iuuat respirationem. Fit enim attractio aëris, cum superior pars pectoris dilatatur, facta contractione diaphragmatis uersus centrum. Rursus fit expulsio, cum à centro laxatur diaphragma. Tertia, ut suo motu iuuet intestina ad expulsionem.

Vtilitates Diaphragmatis.

Mirum est quod narrat Plinius, gladiatores diaphragmate uulnerato mortuos esse Risu. Ideoq; diaphragma sedẽ esse risus arbitratur. Quia enim multum habet neruorum, titillatio ciet ibi sensum acriorem. Est enim Risus dilatatio orta ex acriore sensu neruorum.

Diaphragma sedes risus.

Risus qd.

De panniculo qui nominatur Mediastinus.

Antea de Diaphragmate dixi, quod & magnitudine & usu conspicuum est, quia septum est inter imum thoracis, & culinam. Postea nominantur Mediastinus & Tunica cingens costas.

Sed mediastinus gemini panniculi sunt, uersus dorsum contigui, distantes uerò anteriori parte, diuidunt autem pectus secundum longitudinem per medium, in dextram & sinistram partem. Et intra hos duos parietes sunt capsula cordis & cor, & uenæ cauæ alueus in dextrum sinum cordis insertus. Diuidunt & pulmonem, ut gemina sit spirationis copia, ut altero latere languefacto, tamen alterum sit in officio.

Vocabulum Mediastini recens est. Pro hoc Veteres nominauerunt hæc interstitia ὑμένα διαφράττοντας μέσον τὸν θώρακα, id est, membranas intersepientes medium Thoracem.

De Tunica cingente costas, quam recentiores nominant Pleuram, Galenus ὑπεζωκότα χιτῶνα.

Intra Diaphragma est panniculus totum Thoracem tegens, qui nominatur Tunica cingens costas, & uulgo Pleura. Subtilis & neruosa substantia est, extensa, ut introrsum uestiat costas & musculos

musculos inter costas. Hoc loco *morbus oritur* πλευρίτις, *cum adfluunt humores ad musculos illos seu membranam, & ibi inflammantur & putrefiunt. Sequuntur autem febres ardentissimæ, quia pars adfecta non procul distat à corde, & colligata est cum diaphragmate, quod cum sit uicinum, incalescit, & motu suo auget inflammationem.*

περικάρδιον χιτών, Capsula cordis seu Inuolucrum cordis.

Proximum domicilium cordis est, quod recentiores nominant capsulam cordis, Galenus περικάρδιον χιτῶνα, *& multi inuolucrum cordis. Est autem membrana simplex, nullis intertexta fibris, sed firma & ualida, figura Nucis pineæ, intus cauitatem habens, quæ cordis domicilium est, orta ab ipsis uenarum & arteriarum tunicis, quæ per hanc membranam ducuntur, alligata parietibus Mediastini & diaphragmati firmis nexibus. Hoc inuolucrum, munimentum est cordis, in quo ita latet, ut interuallo certo distet undiq; cor ab ipso, ita ut nec ipsi adhæreat, nec alterum ex altero natum sit. In hac arca existimant seu aquam seu madorem rori similem esse, qua sit opus ad cordis irrigationem in tam adsiduo motu & tanto calore.*

calore. Qua aqua exhausta cor contabescit, idq; fieri in mœsticia scribitur, ut Marchioni Casimiro mortuo cor exemptum aiunt simile fuisse pyro tosto.

Cor.

In hac arca pendet hic uitæ Dominus, Cor, liberum á reliquo corpore, cui uitam largitur, nisi quòd ei adiunctum est per uenas, arterias, & neruos, quibus tanquam canalibus utitur, partim, ut aliena beneficia accipiat, partim, ut sua inde effundat.

Quod Aristo. vlas & alij radicem cordis calorem temperari frigiditate cerebri vel de substantia cordis & cerebri, vel de spiritib. cordis & cerebri in vtroq; gendum est.

Substantia autem cordis est proprij cuiusdam generis caro, dissimilis carni in reliquo corpore, spissa & benè compacta, intextis fibris seu uillis arctissimè intricatis, non ut disertè distingui possint, ut in alijs corporis partibus.

Figura cordis pyramidem utcunq; imitatur, sed basi latiore ac gibba. Lusit Plato de figura, Ideo similem esse pyramidi, quia cum sit igneæ naturæ, flammarum pyramides referat. Etsi autem de hac causa nihil adfirmari potest, tamen architectus non temerè hanc figuram elegit, quæ inter solidas prima est, & ad hunc motum congruentior.

Figura cordis pyramidalis.

Situs

Situs est, ut basis in qua generosissimi thalami sunt, exquisitè medium pectoris teneat, mucro autem erigatur nonnihil ad sinistrum latus, & ne occurrat ossibus pectoris, & ut sinistro lateri plus caloris tribuat, cum dextrum adiuuetur calore Epatis.

Duo sunt autem cordis uentriculi seu thalami, seu sinus. Inter hos interstitium est, quod distinguit thalamos. Hoc interstitium cum sit crassum & firmum, & oculis conspiciatur, non rectè dici Tertium uentrem facile iudicari potest. Ac ne quidem conspici meatus per hoc interstitium facti possunt, sed exudat sanguis in alterum uentriculum per angustissimos poros.

Est autem dextri thalami hæc utilitas, excipere ex caua uena sanguinem eò influentẽ, qui ibi præparatur, et in duas partes distribuitur. Altera Pulmonem alit, altera subtilior exudat in sinistrum thalamum, & in spiritus uitales conuertitur.

Duæ sunt autem uenæ infixæ dextro uentriculo. Caua scilicet, quæ est canalis sanguinis ab Epate transmissi. Sparguntur autem & ab hoc ipso canale in summa basi exiles rami, coronæ specie, qui sanguinem uehunt minus subtilẽ, quo propriẽ cor

cor nutritur. Altera uerò in dextro uentriculo ex ipso corde oriens, nominatur uena ARTERIALIS, quia tunicas habet craßiores & Arterijs similes, qua in pulmonem uehitur sanguis subtilior, qui exhalaret, nisi uena munitior esset.

Vena arteriosa.

Siniſter uerò thalamus longè præstantior est, & officina eius operis, quod præcipuum est cordis. Gignit enim ſpiritus uitales ex ſanguine subtiliſſimo, qui ex dextro ſinu eò exudat. Est autem ſpiritus uitalis utiliſſima & uiuifica flamma, similis naturæ cœleſti, quæ calorem & uitam in totum corpus perfert, & præcipuarum actionum organum est.

Siniſter thalamus.

Naſcuntur in hoc ipſo uentriculo duo canales grandiuſculi: Arteria Aorta, quæ omnium arteriarũ in toto corpore ſtipes est, per qũas tanquam per alueos præcipuum cordis beneficium in omnes corporis partes manat, uidelicet halitus ille, ſeu uiuifica flamma, ſuo calore fouens omnia membra, & actiones adiuuans.

Arteria Aorta. fons arteriarũ.

Etſi autem existimo, Arterias dici ab ἀρτάω, quòd firmiuſculè compactæ ſunt, & uenas ſecum ſuſpendunt, Nam adiunctæ ũenis ſpargũntur in totum corpus: Tamen & hanc Etymologiam recitemus,

ἀρτάω.

temus, ex officio fictam. Scribunt. n. dici Arteriam, ab ἀήρ & τηρῶ, quasi custodem aëris & spiritus. Aorta significat Macedonica consuetudine uaginã, unde propter similitudinem translata est adpellatio ad hunc arteriarum truncum, propterea, quòd sit canalis aliquanto firmior & densior, quàm uenæ, & ut ita dicam, uaginæ similis. Galenus inquit Aristotelem huius adpellationis autorem esse. Apud Homerum Odisseæ. ϛ. in descriptione peræ nomen est ἀορτὴς pro circulo, à quo pendebat pera.

Scinditur autem Aorta paululum extra cor porrecta in duos grandes ramos, quorum alter adscendit, ut spiritum uitalem superioribus partibus corporis aduehat, alter descendit aliquanto grandior. Occurrunt autem ramis uenæ cauæ, cuim quibus simul per corpus sparguntur. Raro enim sunt arteriæ solæ, non adiunctæ uenis.

Ac iucundum est considerare consensum uenarum & arteriarum, & mutua officia. Nam Arteriæ uenis adiunctis per angustissimos poros ac meatus impertiunt spiritum, qui calore uitali sanguinem excscitat, percoquit & conseruat. Rursus etiam arteriæ hauriunt aliquantulum sanguinis ex uenis, quo uehitur, rigatur, & augetur spiritus.

Ideo inquit Galenus: Συμανεσόμωνται μὴν καὶ ἀρτηρίαι ταῖς φλεψὶ καθ' ὅλον τὸ σῶμα. Illustre autem exemplum nobis in hac imagine propositum est mutuæ communicationis, sine qua conseruari natura non potest.

Dixi breuissimè de Aorta. Oritur autem ex sinistro uentriculo cordis & alius canalis, qui nominatur Arteria Venosa, & porrigitur in Pulmonem. Differt autem non solum figura, sed etiam usu à uena Arteriali, de qua supra dictum est. Nam uena Arterialis ex dextro uentriculo sanguinem uehit in pulmonem nutriendi eius causa. Sed hic canalis sinistri thalami ex pulmone adfert aërem refrigerandi cordis causa. Adfert enim Trachea aërem in Pulmonem, & iunctos ramulos Arteriæ uenosæ, qui angustis orificijs aërem excipiunt, ut ad cor transmittant. Rursus à corde euehit hæc arteria fumos & aërem nimis calidum, etsi unà aduehit Pulmoni spiritus & arterialem sanguinem, ad calefaciendum Pulmonem.

Ad hunc usum & figura accommodata est. Non enim perinde densa est, ut cœteræ arteriæ, sed constat una tunica, ut facile dilatari & constringi possit, ad exhalandum & recipiendum

aërem,

aërem, præterea ut facilè exudet sanguinem halituosum, neue duricie impediat motum pulmonis. Ideoq; nominata est Arteria uenosa. Est enim condita præcipuè aëris & spiritus uehendi causa, & tamen figura imitatur gracilitatem uenarum.

Aliæ sunt minutæ particulæ cordis, quarum fabricatio tamen causas habet.

Auriculæ duæ additæ sunt. Altera dextra, ubi caua uena sanguinem in cor infundit. Huic orificio addita est membrana, quæ sinus & anfractus habet. In hos spargitur aliqua pars sanguinis, quã cor proximè haurit, ne uehementiore attractione caua uena rumpatur. Sicut in tota machina humani corporis opifex cauit, ne subito magnæ moles transfundantur, sed ubiq; moderationem & contationem amat, & paulatim facit tanquam instillationes.

Sinistra uerò Auricula adiuncta est Arteriæ Venosæ, ut contantius fiat aëris transfusio.

Dixi breuissimè de Auriculis.

Reliqua sunt hostiola, omnibus addita canalibus, adeo exilia, ut difficulter oculis iudicari possint. Quatuor canales, quos recensui, uidelicet

Caua uena, & uena Arterialis in dextro uentriculo. Deinde in ſiniſtro Aorta & Arteria uenoſa tenuiſsimis pelliculis clauduntur & aperiuntur & quidem ſingulis propria ſunt huiuſmodi operacula. Hæ pelliculæ dictæ τριγλώχινες, quia ſimiles ſunt cuſpidi habenti tres pinnas, non ſolum hunc uſum habent, ut prohibeant, ne nimium influat aut effluat, ſed etiam organa ſunt Attractionis. Nam motu cordis tenſæ, tendunt et ipſæ canalium Tunicas, ut ſanguinem, ſpiritum, & aërem quem continent, pellant.

Hactenus de ædificio cordis pauca diximus. Nunc conſiderentur utilitas & motus.

Prima & ſumma utilitas eſt, quòd reliquo corpori fons & initium eſt uitæ & caloris uiuifici, ſiue hæc diſcernas, ſiue idem eſſe dicas. Deinde ſpiritum et hunc uiuificum calorem in totum corpus ſpargit. Ideo inquit Ariſtoteles. Καρδία ὅτι μ ἀρχὴ βίᾳ πᾶσι μέρεσι, καὶ μεταδίδοῖ θερμασίαν βιωλικὴν πᾶσι, καὶ πνεῦμα τῷ ἐγκεφάλῳ καὶ ἥπατι.

Secunda utilitas, quòd ſpiritus geniti in corde, cum poſtea cerebri ui temperantur, fiunt inſtrumenta proxima actionum in cerebro & in neruis, & cient cogitationem, ſenſum & motum. Cum autem

autem uita sine cogitatione, sensu & motu similis morti esset, intelligi potest, magnam esse cordis utilitatem, cum fons sit spirituum, qui harum summarum actionum proxima instrumenta sunt.

Tertia utilitas est, quòd cor non solum sedes est adfectuum, sed fons etiam & propria causa. Talis est autem natura hominis, ut uita sit lætitia quædam. Mœsticia uerò destructio. Vt igitur uitæ initium cor est, ita sedes est propria lætitiæ et mœsticiæ. Ac Deus hæc mirando consilio, ut postea dicam, hoc modo condidit, quia uult in corde sentiri gaudium bonæ conscientiæ, & pœnas scelerum.

Quanquam autem cor sentit suaues & insuaues motiones per Neruos, qui à sexto pari neruorum cerebri in cor deducti sunt, tamen sua quædam est natura cordis, qua ciet adfectus, lætitia fruitur, & contabescit dolore.

Sunt autem hæc in uita præcipua, Sensus, Cogitatio, Motus, lætari rebus conuenientibus, aut dolere aduersis. Horum ultima propria cordis esse fatemur. Itaq; ad hunc usum principaliter conditum est cor, ut domicilium Dei sit, & diuina lætitia refertum perpetuo uiuat.

Hanc mirificam operis uarietatem, & hæc Dei consilia, foris & per densam caliginem aspicientes, obstupescimus, ac dolemus, nos non penitus introspicere naturam, & causas uidere posse. Sed tunc demum, cum Idæam Naturæ in mente Diuina cernemus, totam hanc machinam uelut intus aspiciemus, & opificis consilia, et causas omnium operum diuinorum intelligemus. Nunc inchoata hac consideratione, Deum architectum agnoscamus, et illius perfectæ sapientiæ desiderio accendamur.

De Motibus Cordis.

Breuissimè recitaui utilitates, quarum magnitudo superat omnium hominum sapientiam & eloquentiam. Pauca etiam de Motibus addenda sunt.

Duo sunt autem genera motuum, qui cordi secundum naturam competunt, seu qui sunt ἐνέργειαι. Pulsus uidelicet, & Adfectus. Nam tremor non est ἐνέργεια, & prorsus uiolentus est, incussus aliunde, nec adiuuatur cordis inclinatione.

Est autem Pulsus, motus cordis, quo dilatantur & contrahuntur uentriculi cordis, ut attrahere aërem et exhalare possit, item ut generet ac transmittat spiritus. Nam cordi refrigeratioge opus est. Et

est. Et mira copulatio est Aëris cum nostris corporibus. Vt enim nutrimur rebus natis ex quatuor elementis, quia ex his & nostra corpora conflata sunt, ita cum in aëre uersemur, plurimum haurimus aëris, et hic temperat lucidissimam flammam, quæ est spiritus uitalis.

Præterea nec percoqui spiritus sine motu potest, nec in Arterias expelli.

Fit autem hæc dilatatio & contractio διαστολὴ καὶ συστολή, sua quadam cordis natura, nec regitur à cerebro aut neruis. Sed propriæ sunt cordis Fibræ, huius motus rectrices. Nec plura hîc addam de differentijs, tantum breuissimè admoneo iuniores, ut cogitent, necessitatis seu uitæ causa, ad hos usus pulsum institutum esse, quia hoc motu attrahitur & expellitur aër, & adiuuatur generatio & transmissio spirituum.

Alter motus in corde nominatur Adfectus, qui cogitationem sequitur, & accenditur Noticijs, estq; totius cordis uel dilatatio, ut in læticia, qua cor sentit uoluptatem seu suauitatem, uel compressio, ut in mœsticia, qua cor non sentit suauitatem, sed dolorem, & torresit ac destruitur. Etsi

autem ad hunc ſenſum uoluptatis & doloris nerui concurrunt, tamen natura cordis propriè adfectuum cauſa eſt.

Multa ſunt autem miracula in hac re. Quomodo enim feriri corda noticijs poſſunt? Aut quæ uis eſt cerebri & ſpirituum ferientium corda, ut tam uarij motus cieantur? Hîc oſtendere aliam cauſam non poſſumus, niſi quia ſic condita eſt natura, ut talis ſit cerebri & cordis conſenſus ac συμπάθεια. Voluit Deus lucere ſuæ ſapientiæ radios in cerebro noſtro. Cum his & corda congruere uoluit, lætantia agnitione Dei, & ipſe adeſſe in cordibus noſtris, tanquam in ſede ſua uoluit, & perfundere nos ſua luce & lætitia. Hæc minus intelligimus, quia prima cerebri & cordis harmonia, quam Deus condidit, turbata eſt. Nunc igitur ita diſputant, adfectus comitantes noticiam, ut iram, incendia amorum, lætitiam, ſpem, metus, hoc modo excitari, quia cor feritur ſpiritu à cerebro miſſo. Sed explicatio facilior eſt ijs, qui dicunt, cor domicilium eſſe proprium ſubſtantiæ Animæ.

Pulmo. πνεύμων.

Quo conſilio natura circumdederit cordi pulmonem, officia eius declarant. Concinnè enim uocat

tdt Pulmonem Plato ἅλμα μαλακόμ, *molle uentilabrum cordis, breuiter & ſubſtantiam & officia ſignificans.*

Eſt enim ſubſtantia Pulmonis, caro aërea, rara, mollis, ſpongioſa, ſimilis coagulatæ ſpumæ ſanguinis, intextis in eam carnem tribus fiſtulis, quæ uelut rete per totum pulmonem ſparſæ ſunt. Nam Trachea arteria, quæ grandior eſt, pulmoni inſeritur, cui occurrunt duo canales ex corde emiſſi. Vena Arterialis nutrimentum adferens pulmoni, & Arteria Venalis, aërem in pulmone excipiens, & ex corde fumos euehens, & arterialem ſanguinem. Hi canales ſpargunt exiles ſurculos per totum pulmonem. Et quia adſiduè hauritur & emittitur aër per Tracheam arteriam, & per arteriam uenalem, continui ſunt motus pulmonis dilatatio & conſtrictio. Ac primum in pulmone præparatur aër, qui in cor tranſuehendus eſt. Mirum eſt autem, cum adſiduus ſit pulmonis motus, tamen non alligatũ eſſe ad thoracem, nec thoracis motu trahi. Mouetur autẽ ratione uacui, ut ſit agitatio mollior, cum cedit Thorax, qui à diaphragmate mouetur. Et fortaſſis adiuuant pulmonis motum halitus à corde uenientes, & ipſa aëris copia, qui & influit & exhalat.

Figura Pulmonis imitatur ungulam bouis, quia

in duas partes à Mediastino diuiditur, & singula in imo binos lobos habent.

Vtilitas pulmonis duplex est. Factus est enim & spirationis & uocis causa. Spiratio cordi necessaria est. Adfert enim pulmo cordi aërem, qui mitiget calorem cordis & spirituum. Et hunc aërem antea præparat. Cor enim læderetur, si penetraret ad ipsum aut aër frigidior, aut nimis copiosus. Suffocaretur autem cor copia spirituum & fumosi aëris, nisi rursus fieret exhalatio. Ideo & per pulmonem rursus emittitur fumosus aër, Ideoq; pulmo capax est multi aëris, ut paulisper omissa spiratione, tamen cor accipiat & reddat aërem. Ac si deesset pulmo, breui interuallo omissa spiratione suffocarentur animantia. Ita spirationis causa pulmo factus est. Nec addo hîc disputationem de piscibus, quos dicunt non spirare, cum pulmonem non habeant, qui tamen attrahunt & emittunt aërem per Branchias, ut alibi dicitur.

Altera utilitas pulmonis est insignis, quòd seruit formandæ uoci. Vt enim in fistulis hoc modo fiunt soni, cum inspiratum aërem lingua tanquam plectro formamus, ita propemodum fit uox humana. Pulmo ceu utriculus motus aërem reddit

Tracheæ.

Tracheæ. Hunc cum formant circuli in Trachea, & lingula, quæ nominatur γλωτίς, fieri uocem experimur.

Aſpera Arteria. τραχεῖα ἀρτηρία.

Fiſtula à faucibus ducitur ad pulmonem, quæ ad geminos uſus condita eſt. Cum enim ut ſupra dictum eſt, cordi opus eſſet aëris attractione & expiratione, hic canalis factus eſt, ut aërem ore & naribus arceptum, tranſmittat ad pulmonem, & inde rurſus exhalant fumi cordis, ut dictum eſt.

Simul autem hæc ipſa fiſtula inſtrumentum eſt formandæ uocis, Nam ad uocem opus eſt aëre, quo hæc fiſtula abundat, & motu, quo aër in hanc fiſtulam impellitur compreßione pulmonis. Itaq; loci & partium opportunitas fuit in cauſa, ut hæc fiſtula fieret etiam uocis organum.

Conſideremus autem conſilium architecti, qui ſicut oratores proximè adiuncti ſunt Regibus, ita cordi uocis organum addidit, quia ſi natura integra eſſet, pulcherrimus conſenſus eſſet cordis & uocis. Cor ardens luce & amore Dei, patefaceret diuinos motus uoce celebrante Deum. Et erga homines uera & iuſta dicendo congruerent cor et uox.

Figura

Figura autem hæc est. Arteria Trachea ceu fistula & mucronis figura descendit in pulmonem, in quo finditur in duos ramos. Ab his deinceps in ipso pulmone oriuntur innumerabiles fibræ. Est autem composita Trachea, partim ex chartilaginibus, partim ex membranis. Oportet enim moueri Tracheam, cum accipit aut emittit aërem, & laxari in expiratione, & astringi in inspiratione. Ideo fabricanda fuit ex mobilibus membranis, quæ sunt mollia ligamenta.

Rursus quia est organum uocis, admiscendæ fuerunt chartilagines, ex quibus annuli in Trachea facti sunt, & iuncti propemodum, ut circuli iunguntur in cauda cancri. Horum asperitas & uarietas ad uocem formandam necessaria fuit. Non enim fieri potest uox, nisi aër in aliquo repercutiatur.

Vestiunt autem Tracheam panniculi, quorum is qui intus tegit carthilagines, durior est, ut muniat eas, ne arrodantur ab acribus fumis & catarris.

Iam uocabula totius fistulæ, & partium consideremus. Totus hic canalis à nodo gutturis in pulmonem porrectus, nominatur Arteria Trachea, propter asperitatem chartilaginum, quæ intus uelut

lut annulis distinctæ sunt. Est & totius fistulæ nomen βρόγχος, ut expressè inquit Galenus in pluribus locis. Cuius hæc sunt uerba in septimo libro de administrationibus Anatomicis: ὅλην αὐτὴν τὴν τραχεῖαν βρόγχον καλοῦσιν. Significat enim bronchum asperum & scabrum, sicut Plinius ait lib. 11. Senectus in equis intelligitur dentium bronchitate.

Cacumen huius fistulæ, quod latini nominant Nodum gutturis, græcè est propriè λάρυγξ & κεφαλὴ βρόγχου.

In huius fabricatione ars miranda est. Constat tribus chartilagimibus, quarum anterior, quæ maxima est, scuto similis, dicitur θυρεοειδὴς, id est, scuto seu peltæ similis, quæ in collo eminet, & digitis contrectatur.

Secundæ chartilagini uetustas non fecit proprium nomen. Est autem retro posita, ubi Laryngem discernit ab Oesophago, & quasi munimentum est contra Oesophagum, ne in deglutiendo Trachea lædatur. Similis est annulo, qui in pollice gestatur.

Tertia chartilago est intra alteras duas, rimam constituens, & propter figuram nominata ἀρυταινα, seu ἀρυταινοειδὴς, id est, rostro furioso

simulis

similis in urceis, aut cantharis quibusdam. Notum est enim ἀρύταινα à Græcis nominari talem cyathum, qui uelut rostrum habet, quales sunt in myropolijs, quibus funditur oleum. Recentiores nommarunt hanc tertiam cymbalarem. Id nomen non uidetur à figura sumptum esse, sed quia uocis organum est.

In medio igitur huius tertiæ chartilaginis profunda Rima est, quæ nominatur γλωττὶς, quia proprijssimum uocis organum est, ac latera contrahuntur & dilatantur peculiaribus musculis. Adiuuant autem hanc contractionem & dilatationem musculi, qui cœteras chartilagines connectunt. Ita uariatur uox, ut sit acuta aut grauis, clara uel obscura, hac ipsa contractione laterum, quæ constituunt illam rimam. Eam uarietatem fistulæ non possunt efficere in ipsa rima, seu lingula, sed foramina fistulis addita sunt ad eam uarietatem efficiendam.

Supra hanc rimam operculum est laryngis, quod nominatur, Επιγλωττὶς, quod est corpus chartilagineum, figura trianguli, duriusculum, factum, ut arceat cibum & potum, ne quid illabatur in Tracheam arteriam. Singulari enim consilio Deus hos canales, Oesophagum & Tracheam distinxit,

distinxit, & periculi mangitudo ostendit, uelle Deum, ut inter edendum quietiores & taciturniſimus. Quia cum uox editur, hiat operculum Tracheæ, in quam cum infunditur uel exigua maſſa, niſi ſtatim reijceretur, ſecutura eſſet ſuffocatio. Et hoc periculum eò facilius accidit, quia Trachea collocata eſt ante Oeſophagum.

In hac partium & nominum recitatione multi errarunt ante Vueſalium, qui rectè taxauit priorum errores, & deprauatos Galeni libros emendauit, in quibus promiſcuè ſcripta fuerant hæc duo nomima γλωττὶς & ἐπιγλωττίς. Sed rerum diuerſarum diuerſas adpellationes eſſe, Vueſalius perſpicuè oſtendit.

Ac ut magis nota ſint iunioribus diſcrimina Oeſophagi, & Tracheæ arteriæ, conſiderentur uſus, ſitus, ſubſtantia, & longitudo.

Vſu differunt, quia Oeſophagus eſt canalis cibum & potum uehens in uentriculum. Ted Trachea, canalis eſt, factus ſpirationis & uocis cauſa.

Situ differunt, quia Trachea in anteriore parte colli poſita eſt, ut recta tendat ad os, hauriendi aëris cauſa. Oeſophagus autem in poſteriore parte colli

te colli est,& magis latet,ut plus contineat caloris. Descendens autem nonnihil flectit se ad dextrum,ut cedat locum Aortæ. Rursus autem ad sinistrum reflectitur, cum ferè accessit ad Diaphragma, ut cedat locum uenæ cauæ. Ita uelut seruus officiosè cedit præstantioribus membris. Sed anfractus illi prosunt,ut hoc membrum fulciant, & neruos excipiant,item ne impediatur deglutiens.

Substantia differunt. Nam Trachea est ex chartilagimibus,ut dictum est,ut sit firmior canalis,nec toto suo corpore coëat,sed maneat meatus aëris in spiratione. Oesophagus uerò quanquam neruea membrana est, tamen est substantia mollior quàm Trachea, & astringitur suis uillis, cum est inanis.

Longitudine differunt. Trachea enim multo breuior est,quàm Oesophagus, qui sub Diaphragmate attingit uentriculum. Trachea uerò sub furculis inseritur pulmoni.

Etsi autem puerilis est disputatio de dicto Platonis,qui ait, Tracheam canalem esse potus,tamen ne sit ignota iunioribus,hîc breuiter inserenda est, præsertim cum à Plutarcho, Gellio & Macrobio agitata sit. Manifestum est Tracheam tantum esse aëris meatum. Vt autem cibus per Oesophagum in uentri-

in uentriculum uehitur, ubi coctionis initia sunt, fitq; postea alia coctio in Epate, ita et potus eadem uia in uentriculum & Epar defluit, & ut pars nutrimenti coquitur, ac in sanguinem uertitur. Relinquenda est igitur inepta opinio, quæ finxit, Tracheam esse canalem potus.

Quòd uerò poëtarum dicta citantur de rigando pulmone, facilima est explicatio. Certe opus est pulmoni & nutrimento & rigatione. Sed ut supra dicitur, manifestum est, nutriri & rigari pulmonem per uenam Arteriälem, quæ subtilem sanguinem uehit in pulmonem. Sanguis autem ex cibo & potu antea in Epate natus est. Harum actionum ordinem esse non negant poëtæ, cum dicunt uino rigari pulmonem. Verba Alcei recitantur à Plutarcho, quæ mendosè scripta sunt in codicibus Gellianis, Et rectius sic leguntur. Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. *Humectato pulmonem uino. Sol enim circum uoluitur, id est, non iam ascendit, sed flectitur ad occasum.*

Cum igitur cor accensum sit, & pulmo arefactus diurno æstu & labore, tum à meridie corporibus quies concedatur, & cibo ac potu reficiantur uires & spiritus, & rigatione humectentur & re-

frigerentur cor & pulmo. Notum est enim, quod fuerit cœnæ tempus ueteribus.

Sic & Euripidis uersus intelligatur de rigatione, quæ fit ordine per cœteros meatus. Οἶνος περᾶσας πνευμόνων διαῤῥοάς. Vinum penetrans pulmonum meatus, scilicet eo ordine, quem natura attribuit nutrimento. Alij quærunt subtiliores interpretationes, quas omitto.

Θυμός.

Donec in descriptione pectoris uersamur, est & paruæ cuiusdam particulæ mentio facienda, quæ nominatur θυμός. Est autem θυμὸς sub iugulo circa pulmonem glandulosa caro, substrata ascendentibus uenis & arterijs. Fortassis autem ideo sic nominatur, quia in iratis incensi spiritus ibi ascendunt, qui quidem pulmonem & caput inflammant, ut uidemus, iratis rubescere oculos & totam faciem. Ac in ea ipsa parte, quæ θυμὸς nominatur, interdum ualde irati sentiunt acutissimas punctiones, propter concursum spirituum uehementiorem, & quasi æstum & Euripum.

Lingua.

Ante Laryngem positum est os bifurcatum, quod &

quod & munit chartilagines Laryngis, & Basis est, cui alligata est Lingua per plurimos musculos. Galenus nominat ὑοειδές, à figura literæ υ. Alij nominant λαβδοειδές. Nam & λάμβδα duos habet ramos. Si enim uni tantum ramo alligata esset lingua, moueretur inæqualiter, traheretur q; tota ad unum latus. Vt igitur æqualiter agitetur Lingua, duo eam rami sustentant, supra quos libratur, ceu machinæ fulcris impositæ. Herophilus nominat παρασάτκμ, sicut in ædificijs usitatum fuit duas columnas uicinas nominare παρασάτας.

Est autem lingua, caro musculosa, sed mollis, rara, fungosa, plena neruorum, arteriarum & uenarum. Abundat neruis propter multiplices & uarios motus, ac propter duos sensus, gustum & tactum. Et quanquam ijdem nerui utrunq; sensum impertiunt, gustum & tactum, tamen ab his distincti sunt nerui, qui motum præbent. Ideoq; percussi in ceruice interdum fiunt muti, etiamsi non amittant gustum, læsa uidelicet neruorum origine, qui sunt instrumenta motus.

Arterijs autem abundat, quia opus est linguæ multo spiritu & calore, propter tantam motus uarietatem.

Abundat & uenis, ne deſit ei nutrimentum. Ac humiditas addita eſt, ne areſcat lingua adſiduitate motus. Quanquam igitur excrementum eſt ſaliua, tamen aliqua eius utilitas eſt, ut linguam madefaciat. Nam Saliua excrementum eſt phlegmatis, deſtillans partim ex cerebro in fauces, partim ex uentriculo exæſtuans. Foramina enim condita ſunt in oſſe Baſilari, quod inter palatum eſt & nares, tum aëris hauriendi cauſa, tum ut per ea deſtillet ſaliua. Quam ob cauſam hæc foramina Colatorium nominant.

Breuiſſimè diximus de miranda linguæ fabricatione, ut præcipua quædam opera in ea iuniores conſiderent. Sed muſculorum ars in ea non ſatis explicari poteſt, quibus uariè tenditur. Multo minus cauſa oſtendi poteſt alia, cur linguæ motu ceu plectro, in homine diſſimilia uerba formentur, quæ ſunt notæ picturæq; rerum & cogitationum, niſi quia Deus hoc modo naturam hominum condidit, cuius celebremus ſapientiam, & ei gratias agamus, quòd propter utilitates plurimas ſermonem homini attribuit.

Vtilitates igitur linguæ humanæ ſunt tres. Formant ſermonem, hoc eſt, Articulatam uocem. Nam in larynge uox, non ſermo formatur.

Secundo

Secundo organum est gustus, in qua utilitate & palatum habet adiunctum, quod etiam ad organum gustus pertinet, & pellicula, in qua sunt nerui, qui gustum & tactum linguæ suppeditant, oritur à neruis per palatum demissis ad linguæ radicem.

Tertia utilitas est, quòd cibum excipit, & adiuuat præparationem coctionis in masticando ut uocant, seu ut Græci loquuntur, ἐν τῷ μασᾶν, & transmittit ad œsophagum.

Sed illa est summa linguæ humanæ dignitas, quòd sermonis & eloquentiæ opifex est. Qua in re nec utilitatis magnitudo satis prædicari potest, nec ars exponi. Sed reuerenter agnoscamus uoluntatem Dei, qui linguam uoluit esse Mentis & cogitationum interpretem, ut alij alios de Deo & de alijs rebus bonis docerent, & ut sermo uinculum esset consociationis hominum. Et sciamus tunc nos intellecturos esse causas & artem totius fabricationis, cum in ipso opifice Ideam horum operum cernemus. Interea grati Deum autorem celebremus, & ipsius operibus rectè utamur, & sciamus eum uelle, ut in hac uita ad illam æternam lucem, his initijs doctrinæ præparemur.

De supremo uentre. Caput.

κέφαλή.

Etsi totius naturæ, cœli, elementorum, plantarum, metallorum & animantium fabricatio plurima cõtinet miracula, & illustria testimonia, quæ ostendunt, hanc naturam non extitisse casu, sed à mente architectatrice conditam & ordinatam esse, tamen uestigia diuinitatis maximè expressa & perspicua sunt in ea parte, in qua sunt, Cogitatio, intellectus numerorum & ordinis, Ratiocinatio, Iudicium, Memoria, Libertas electionis, discrimen honestorum & turpium. Hæ admirandæ actiones in nobis perspicuè conuincunt omnes homines, ut fateri cogantur, hanc naturam neq; casu ex Democriti Atomis conflatam esse, neq; à Natura Bruta ortam esse. Sed mentem architectatricem esse, intelligentem ordinis, & quidem ostendunt qualis sit, uidelicet, discernens honesta & turpia, & conseruatrix humanæ societatis, & certò puniens atrocia delicta, pugnantia cum suo ordine.

Quanquam igitur neq; cerebri natura, neq; actiones penitus cognosci possunt, tamen hæc opera necesse

ra necesse est utcunq; aspici, ut adsensionem de Deo & de Prouidentia confirment. Quæ intuentes agnoscamus uoluntatem Dei erga nos, quòd in hominum naturam transfudit similitudinem suæ sapientiæ, & uoluit nos esse Imagines diuinitatis, ut in ueteri uersu dicitur: Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parua, & ei gratias agamus, & quantum possumus, curemus, ut hæc imago fiat illustrior, & magis congruat cum archetypo, agnitione ipsius, sapientia, & uirtutum similitudine.

Primum de situ capitis dicitur. Quanquam autem non sine causa talis est figura homini attributa, ut aliud nullum animal incedat erecto corpore, tamen hanc commemorationem omitto. Satis intelligi potest, hunc positum & ad speciem pulcherrimum & ad utilitatem accommodatissimum esse.

Figuram capitis optimam esse Galenus scribit, si imitetur sphæram exactè rotundam, sed quæ paulatim utrinq; conprimitur & fit arctior. Ac laudat magnũ caput pro proportione, & ut ipse ait, εὐευθμον, quod eo recitamus, quia Homerus in uituperatione Thersitæ etiam hanc notam peruersi ingenij posuit, quòd habuerit acuminatum

caput, φοξὸς ἔκμ κεφαλήμ. Quia enim medius uenter non habet iustam amplitudinem, spirituum actio & raciocinatio ibi impeditior & confusior est. Et in quacunq; parte capitis figura non habet conuenientem proportionem, ibi debilitas significatur, ut exempla manifestè ostendunt. Non est firma in his memoria, qui habent occiput nimis paruum, seu non eminens.

Est autem utilitas capitis, continere cerebrum & sensuum organa, quæ sunt partes gubernatrices uitæ, & cognitionis causa conditæ, & sunt domicilium lucis Diuinæ in nobis.

Vt autem partes ordinè recitemus, primum foris aspiciemus ea, quæ uestiunt caput.

Etsi autem capilli sunt superfluitas, tamen aliqua eorum utilitas est, calefaciunt caput, & in eam materiam eduntur halitus cerebri.

Sub capillis crassa & carnea cutis est, ut pili in ea radices agere possint.

Sub cute parum carnis est, circa frontem & tempora.

Deinde est panniculus circumdans totum os capitis, qui nominatur περικράνιον, ortus à neruis et ligamentis per suturas prodeuntibus à Dura Matre,

Matre, conditus magnarum utilitatum causa. Primum ut alliget cranio duram matrem. Deinde ut uenas & arterias excipiat ac sustentet, quæ sparsæ per extrema colli ascendunt, ut ad caput perueniant, & ingressæ per suturas nutriant & foueant cerebrum. Præbet hic panniculus etiam sensum cranio.

Sub hoc panniculo est totum os tegens caput, quod græcè κρᾶνιον adpellatur, & munit ac continet cerebrum. Latini caluariam nominant.

Quia uerò meatus esse oportuit, certarum utilitatum causa, ideo hæc testa non est unum & continuum os, sed septem ossa coniuncta sunt suturis, quæ præbent meatus.

Sub cranio proxima est Dura mater, quæ est panniculus satis crassus, ac nominatur à Galeno, Crassa Meninx, sustentans uenas, quæ nutriunt cerebrum.

Deinde sequitur pia Mater, quæ est tenuis membrana immediatè continens & cingens cerebrum. Galenus nominat subtilem Meninga.

Deinde cerebrum, in quo sunt amplæ cauitates, quæ nominantur uentriculi, distinctæ interuallis.

Supra medium uentriculum uersus cerebellum. Nates binæ sunt, sunt & figuræ uermium, Conus unus.

Deinde Infusorium, in quod à cerebro uelut in peluim deriuatur superfluitas, quæ partim sputo, partim per Nares excernitur.

Præterea oriuntur à cerebro nerui, qui sunt instrumenta sensuum, & motuum, qui sunt in organis sensuum.

Deinde contemplandi sunt oculi, Aures, Nares.

Dura mater.

Veteres Græci generaliter nominant Meningas, quaslibet crustas seu membranas circumdantes aliud corpus. Postea hæsit adpellatio in his membranis tantum, quæ ambiunt cerebrum. Id de nomine admonet Galenus, libro nono Anatomicorum.

Est autem crassa Menimx, seu ut nunc nominant, Dura Mater, panniculus Nerueus, crassus, & firmus, sed tamen porosus, cranio proximus, ambiens totam cerebri molem, ita ut etiam ipsum cerebrum à fronte ad postremam partem, quæ nominatur cerebellum, diuidat secundum longitudinem, ut sic dicam, efficiatq; interstitium, ut etiam

in pecudum

impecudum capitibus cerni potest. Deinde cum cerebellum, quod nominatur παρεγκεφαλις, quod in postrema parte capitis situm est, magna ex parte seiunctum sit ab altera mole cerebri, hîc quoq; Dura mater facit interstitium inter utranq; molem, secundum Latitudinem.

Vtilitas huius membranæ est, munire cerebrum molliore tegmine, quàm erat cranium, ne impingens in motu uehementiore in cranium lædere-tur. Sunt & aliæ utilitates, sustentare uenas, quæ nutriunt cerebrum & uicinas partes, & adiuuare piam matrem, in quam inseritur, ut firmius suspendat cerebrum.

Pia Mater.

Circundat proximè cerebrum alia quasi fasciola, quæ nominatur tenuis membrana. Est autem subtilis panniculus, nerueus, proximus cerebro, non modo ambiens ipsam molem, sed etiam penetrans intra uarias plicaturas, quæ conspiciuntur in cerebro. Et quia proximê ambit cerebrum, & tanquam fouet, ut fœtus in utero fouetur à Chorio, hanc membranam Galenus nominat χοριοειδῆ.

Vtilitates

Vtilitates ſunt. Prima, ut tanquam mollis faſciola, ueſtiat cerebrum, ne diffluat. Secunda, uenas & arterias nutritionis & caloris cauſa colligit & ſuſtentat, & in ipſum cerebrum tanquam ſubtiliſsimos canales tranſmittit. Tertia, cum cerebrum per ſeſe non ſentiat, hæc faſciola quæ eſt nerua, impertit cerebro ſenſum.

Cerebrum.

Etſi nulla pars in uniuerſa natura ita introſpici poteſt, ut penitus & tota cognoſcatur, tamen multo magis admirandum eſt cerebrum, quod eſt domicilium ſapientiæ, & Deo ſimilimum, ac officina eſt cogitationum, iudicij, raciocinationis, & memoriæ, quàm cœteræ partes ullæ in natura. Quòd ignis calefacit, uidemus ſimilem qualitatem ex corpore ualde calido transfundi. Quod aqua humectat, eodem modo uidemus ſimilẽ qualitatem transfundi. Et conſentaneum eſt, naturas efficere ſimile quiddam. Hæc phyſica utcunq; intelligi poſſunt. Sed actiones cerebri quantum differunt à phyſicis qualitatibus, cogitatio, iudicium, raciocinatio, recordatio? Præterea quæ eſt ſubſtantia cerebri? ubi? quomodo fiunt hæ mirandæ actiones in hac ſqualida maſſa? Hæc fateamur non penitus ſciri, & agnoſcamus, Deum eſſe naturæ noſtræ

noſtræ conditorem, & actiones cerebri proprias maximè teſtari, hunc mundum non extitiſſe caſu, & Deum conditorem eſſe mentem ſapientem, beneficam, iuſtam, & ueracem. Quia impoßibile eſt, diſcrimen honeſtorum & turpium caſu, aut â natura bruta ortum eſſe.

Etſi autem non penitus nobis cerebri ſubſtantia nota eſt, tamen hoc ſciamus, oriri ipſam á ſubtiliſſima parte ſeminis, & plena ſpirituum, quæ in formatione fœtus in illam arcem ſummam quaſi exæſtuat, cum Epar & cor & uenulæ inchoantur.

Ventriculi cerebri.

Sunt in cerebro cauitates magnæ, uelut in ædificio, mirumq; eſt ſtare culmẽ uelut ardua laquearia in templis. Etſi autem & dura mater ſupernè culmen nonnihil alligat, tamen cum ſit moles non parua & ualde ſpongioſa ſingulorum parietum, non collabi eos mirum eſt.

Sunt autem hæ cauitates plenæ ſpirituum, qui per arterias adſiduè ex corde aduehuntur, & in his cauitatibus fiunt lucidiores, & quaſi ex igneis flammis fiunt cœleſtes. Eſt enim omnino ſimilitudo quædam cœli, & ſpirituũ ac cerebri. Nec dubium eſt,

bium est, hos spiritus esse organa actionum in sensibus interioribus. Ac Plato sigilli similitudine usus est, significans à spiritu tanquam à sigillo tangi cerebrum, & imprimi ei notam. Cumq; initia harum actionum sint à sensibus exterioribus, cogita in neruis transuehi motiones, sicut in aqua fiunt gyrationes, coniecto in unam partem lapillo. Harum motionum progressio perfertur ipsis spiritibus in cauitates cerebri. Nec se cerebrum habet tantum uelut alueus, sed ut chordæ pulsatæ reddunt sonos, sic fieri consentaneum est in corde & in cerebro. Fiunt adfectus in ipsa cordis substantia, cum feritur & pulsatur à spiribus. Ita & cogitationes fieri credibile est, cum cerebrum a spiritibus feritur, & pulsatur, quod quidem ubiq; spongiosum est, ut passim subeant spiritus, & parietes intus non sint ocioſi, sed in ipsis quoq; cogitatio formetur, impressa quasi specie in sigillo.

Adsidui sunt autem uelut in Euripo, fluxus & refluxus spirituum, ex neruis sensuum exteriorum & in eos, ut aduehant illas gyrationes imaginum seu specierum, quas nerui ab externis obiectis acceperunt. Ideoq; horum neruorum origo est statim sub fundis uentriculorum, ut proxima sit actionibus cerebri.

Ventriculi

Ventriculi numerantur seu cauitates cerebri hoc modo quatuor. Duo primi in parte anteriore cerebri, dextra & sinistra, ampli & longi, figuræ Lunæ recens prodeuntis, amplitudine oui. Distincti sunt interstitio satis conspicuo, quod ex substantia cerebri propagatum est. Vtilitates horum uentriculorum recenset Galenus tres. Primam, ut spiritus Animalis in his uentriculis præparetur. Secundam, ut ad inspirationem & expirationem conducant, hoc est, ut recipiant & emittant aërem, quo opus est ad fouendos spiritus. Tertiam, ut sint spacia ac meatus ad excrementa.

Ipsa uerò pars anterior cerebri tota, ut infra dicam, organum est sensus communis, quod diuersorum sensuum obiecta recipit & discernit.

Medius uentriculus.

Vbi post interstitium partes cerebri continuæ quasi testudinem faciunt, sub ea testudine communis cauitas est, quæ nominatur medius uentriculus, quem Herophilus existimat factum esse, ut per eum spiritus transmittantur in ultimum uentriculum, qui est inter cerebellum & initium

Medullæ

Medullæ ſpinæ dorſi. Clauditur autem medius uentriculus uerſus anteriorem partem glandulæ ſeu conario.

Poſtremus Ventriculus.

Cerebrum & cerebellum interſtitio diſtinguuntur, quod ex dura matre ortũ eſt, nec alia pars duræ matris craſſior & firmior eſt. Eſt autem uia á medio uentriculo in poſtremum ſub Natibus, quæ ſunt ſubſtantiæ cerebri tubercula, quæ figura imitantur nates, eo loco ubi principium eſt dorſalis medullæ. Eſt igitur poſtremus uentriculus amplacauitas, pene oui magnitudine, quæ ſinus eſt partim cerebelli, partim initij dorſalis medullæ.

Cum autem manifeſtum ſit, læſo cerebello, memoriam labefactari, conſentaneum eſt, hunc poſtremum uentriculum & cerebellum organum eſſe memoriæ & recordationis, rerum imagimibus in cerebellum tanquam notis impreſſis.

Etſi autem in hac caligine non perſpicimus, quomodo hæc miranda opera, cognitio, raciocinatio, memoria, recordatio, iudicium fiant, tamen cum fieri ea cerebri ope certiſſimum ſit, cogitemus cerebri ſubſtantiam, quæ ſedes eſt diuinæ lucis & diui=

& diuinarum actionum, cognatam esse cœlesti naturæ, in quam etiam undiq; sparsam esse lucem uidemus, & ardentißimis uotis Deum oremus, ut sua luce semper hoc templum illustret & guber= net. Causas totius opificij, quas magna sapientia cogitatas esse non dubium est, tunc in illa æterna Academia considerabimus, cum & ipsum opi= ficem, & in eius mente ideam horum operum in= tuebimur. Nunc ei obtemperemus, agnoscamus di= scrimen inter naturas raciocinantes, & non racio= cinantes, & Deum celebremus sapientiæ fontem, & hoc domicilium sapientiæ reuerenter tueamur, quantum possumus. Plura de hoc mirando opificio dicere non possum.

Vocabula quædam recitabo, quorum hîc fit mentio.

Nominant uermes quædam exilia uolumina, quæ uermium speciem referunt, procedentia à cerebello uersus medium uentriculum. Nec de usu plura ueri similiter traduntur, ac opiniones mul= torum de hac parte uolens omitto.

χοάνη *infusorium seu infundibulum, quod prorsus imitatur figuram, quam nos ein trechter nominamus, est sub medio uentriculo uersus os ba= silare, ita formatum ex pia matre cingente basin*

cerebelli, ut crassiores superfluitates cerebri, qu
deinde in sputum uertuntur, aut per nares excer
nuntur, excipiat.

Sub χοάνῃ est glandula sita in cauitate oss
Basilaris, qnæ nominatur πύελος, id est, pel
uis, in quam effunditur superfluitas ex χοάνῃ, a
partim uersus palatum, partim uersus nares eue
hitur.

Nominat Galenus contextum quendam arte
riarum intra os Basilare, substratum toti cere
bro, πλέγμα δικτυοειδὲς, quod nuncuparun
Arabes, Rete mirabile. Sed in capite homm
hunc insignem contextum negant esse.

Oculi.

Dominantur inter sensus, Oculi, quos inqui
Plato, præcipuè nobis duces esse ad agnitionem
Dei, intuentes hanc pulcherrimā cœli machinam
ac notantes motuum uarietatem, quæ non alio sen
su, nisi oculorum animaduerti potuit. Est & hoc
ingens beneficium, quòd hoc sensu Lucem agno
scimus, quæ & mirandum Dei opus est, & mag
nam naturæ partem præcipuè ostendit. Et præ
stantissimas naturas lucidas esse certum est, Deum,
angelos, animas, & in corpore spiritus uitales &
animales.

Fabricatio

Fabricatio autem sic describitur. Tunicæ oculi sequinq; sunt, & tres humores. Etsi enim artifices tenuius dissecant tunicas, & plures numerant, tamen id eò fit, quia easdem discernunt locis, anteriori & posteriori.

Prima nominatur Coniunctiua, seu Alba, seu adhærens, quia oculum capiti coniungit, orta à panniculo tegente ossa frontis, & ab interiore pellicula palpebrarum. Hæc ambit oculum usq; ad circulum corneæ.

Secunda nominatur Dura seu cornea, quia anteriore parte imitatur laminas pellucidas, ex cornu factas, colore & firmitate. Oritur à dura meninge. In anteriore parte est perspicua. In posteriore cum sit opaca & durior, uocatur σκληρὰ.

Tertia est Vuea, contigua duræ Tunicæ, dicta ἀραχνοειδὴς, oritur à tenui meninge, tegente Neruum opticum. In huius uueæ tunicæ anteriore parte foramen est, quod nominatur pupilla oculi, quo recipiuntur species uisibiles. Eius foraminis ambitus nominatur iris, propter colorum uarietatem, quia in alijs iris cerulea est, in alijs nigra, in alijs fulua. Nam Gaza χαροπὸν uertit fuluum, quales sunt oculi Leonum, Aquilarum, Turturii. Hunc co-

lorem Aristoteles inquit ingenij & animi præst
tiam significare.

Quarta Tunica, est nerui uisorij dilatat
in cauitatem similem Nassæ. Quare à sagena p
scatoria nomen ei factum est ἀμφιβληστοϊδὴ
Complectitur totam posteriorem sedem uitrei hu
moris, & porrigitur usq; ad medium oculi.

Quinta tunica Aranea nominatur, quæ c
interstitium tegens uitreum & crystallinum hu
morem, et discernens ab Aqueo, ac efficit crysta
lino humori uelut glaberrimi speculi superficiem
ut in ea reddi & fulgere imagines seu species ac
ceptæ possint, ac longè omnia specula claritat
uincit.

Humores tres sunt. Aqueus, qui fluidus est
continetur intra corneam, ut sit interuallum inte
corneam & araneam, utile refractioni, qua spe
cies collectæ dirigantur ad centrum crystallin
humoris.

Vitreus dicitur uitro liquefacto similis, nigre=
dine quadam mixta albo. Nec est fluidus, Sed ali=
quanto firmior. Estq; sedes crystallini humoris
Nam humor crystallinus huic uitreo insertus est,
tanquam gemma annulo, ac dicit Galenus à uitreo
humore nutriri crystallinum.

Præstan=

Præſtantiſſimus humor eſt cryſtallinus, in quo mmediatè fit uiſio. Eſt enim hic humor tanquam ucidiſſimum ſpeculum, non aliunde petita luce, ed ſua natura lucens, & cœteras oculi partes, in uibus eſt lumen, illuminans. Nec eſt fluidus hu= nor, ſed paulo firmior, pene ut cera, ut recipere magines poſsit, figura lentis in centro oculi. Inter= um fulgor, ut in fele, effundit lumen extra ocu= os, unde exiſtimari poteſt, qualis ſit luciditas hu= us humoris.

Aures.

Non omnia oculis accipiuntur, quæ diſcimus, d multa ſermone traduntur, imo doctrina mini= erio oculorum & aliorum ſenſuum inchoata, rmone exædificanda eſt, ut, cum uidimus Eclipſin unæ, poſtea longa ratiocinatione quærimus cau= us, poſitus terræ & Lunæ, umbrarum diſcrimina, ocemus, quare non ſingulis menſibus fiant eclip= s. Poſtquam tactu compertum eſt, corpora in ebri inflammari uino, medicus monet laborantem ebri, ut à uino abſtineat. Deniq; uera Dei agnitio um ex ipſius uoce ſumenda ſit, auditu opus eſſe manifeſtum eſt. Cumq; ſermo ſit inter præcipua pera hominis, nequaquam obſcurum eſt, ingens ſſe beneficium auditus, quo ſolo accipitur ſermo.

Aurium ſubſtantia chartilaginea eſt, mollis & tenuis, quæ gyros et anfractus intus habet, ut ſon paulatim colligat & contineat, ne ſubito irruen tes in organum auditus, aut confundantur, aut la dant organum.

Foramen eſt in oſſibus, quæ petroſa, λιθοειδ nominantur, quorum eò eſt duricies maior, ut me niant organum auditus. In eo foramine duo ſu panniculi ſubtiles & ſolidi, orti à Neruis audit uis. Alter panniculus continet & alligat oſſiculu ſimile incudi, quod tamen extra panniculum ſu pra, ubi feritur, eminet.

Incudi uerò aliud oſſiculum, ſimile malleo, par te ſuperiore nerueis membranulis connexum eſ quod ab altero panniculo ſuſtinetur, ſicut chord tympano intenditur Etſi autem non perſpicuè ſin gularum partium officia deſcribi poſſunt, tame hoc certum eſt, auditionem in illo meatu fieri, pe ſpiritus in Neruis, & excitari ſpiritus percuſſion illa, qua malleolus impulſus à ſonis ferit incudem Mirifica uerò imago eſt docentium. Concionato accipit uocem Diuinitus, & tanquam malleolu ferit incudem, uidelicet pectora audientium, ac ſi mul ſpiritus excitatur.

Nares.

Tria ſunt magna beneficia narium, attracti aëris

aëris & expiratio, Attractio odorum, ut iuuent cerebrum, ac foueant & augeant ſpiritus animales. Tertium eſt euectio pituitæ, ualde neceſſariæ cerebro.

Figura Narium nota eſt, & his uſibus accommodata.

Subſtantia eſt inferius magis chartilaginea, ſuperius magis oſſea. Supra nares oßi frontis inſertum eſt os, quod multa exilia foramina habet, quæ ſunt meatus & aëris, & odorum, quod antiquitas nominat uel ἠθμοειδὲς, id eſt, colatorio ſimile, uel πωροειδὲς, quia multa in eo foramina conſpiciuntur, uelut in ſpongia. Recentiores putarunt ideo dictum colatorium, quia fit meatus pituitæ, ſed conſtat, alios eſſe quaſi canales ampliores pituitæ ex χοάνῃ (trechter) ductos infra oculos, uerſus nares, qui utrinq; naribus inſeruntur mediocri interuallo infra ἠθμοειδὲς. Nec uerò dubium eſt, foramina illa in oſſe ἠθμοειδεῖ facta eſſe ſpirationis & odorum cauſa. Via enim proxima eſt ex eo oſſe ad extrema priorum uentriculorum cerebri.

Et ab illa extrema parte cerebri deſcendunt duæ propagines ex ſubſtantia cerebri in os ἠθμοειδὲς, ſparſæ ad foramina, & ut ſint gemina organa, interſtitio ſolidi oßis diſtinctæ. Has propagi-

nes uerè esse organum olfactus traditur. Vnde & transmittuntur odores in priores uentriculos cerebri. Hæc sententia de organo olfactus magis probatur eruditis, quàm quæ alij de caruncul is mamillaribus dicunt, quæ sunt supra oculos, ut expleant cauitates ossium frontis, per quas carnes nulli sunt ad cerebrum meatus. Manifestum est autem, odores ad cerebrum transuehi oportere, cui prosunt, ut dictum est.

De membris Similaribus seu Homogeneis.

Multæ graues causæ sunt, propter quas prodest statim adsuefieri iuniores ad qualemcunq; considerationem opificij humani corporis, etiamsi hæc prima pictura aliquanto rudior est. Primum enim organa utcunq; potentiarum discerni & monstrari necesse est, quod cum fit, præcipua membra recitantur. Deinde ad tuendam ualetudinem & ad medicationes prodest scire membrorum qualitates. Nec dubium est temperantiæ & moderationis in multis actionibus disciplinam esse, considerationem organorum, ut, qui scit Epatis actionem languidiorem esse, cum accipit ex uentriculo chylum adhuc crudum, & totam sanguinis

massam

massam fieri impuriorem, & sæpè cacochymiam & Hydropem, is magis seruat ordinem naturæ conuenientem in cibo & potu.

Ingens autem & hæc utilitas est, arte considerata raciocinari, hoc mirandum opus non casu ita confluxisse, nec tantum ad hunc usum in uita mortali conditum esse. Esse etiam arcanam causam, cur ipse filius Dei induerit humanam naturam. Hunc in omni æternitate tuis oculis intueberis, audies auribus tuis differentem de sapientia diuina, tuo complexu ipsum salutabis. Tunc demum intelligemus, & cur hæc corpora sic condita sint, & quæ sit substantia singularum partium. Interea hanc sapientiam utcunq; inchoëmus, agnoscamus hanc naturam non casu ex Democriti atomis conflatam esse, celebremus Deum architectum, fateamur radios sapientiæ diuinæ in nos non frustra sparsos esse, qui monstrant ordinem omnium actionum, & eis obtemperemus, petamus et expectemus immortalitatem. Et sciamus tunc demum hæc nostra corpora habitura ultimum & perfectum decus, cum coràm cernent & audient Filium Dei, & undiq; in eis fulgebit Lux Diuina.

Supra autem nominauimus partes crassiores.

Nunc addenda est usitata & necessaria distinctio. Alia membra dicuntur ἑτερογένεα, quarum partes non retinent nomen totius, ut caput, oculus, cor. Non enim quælibet pars capitis est caput. Hæc ex multis & dißimilibus partibus constructa sunt.

Alia membra nominantur ὁμογένεα, seu similaria, ut Gaza loquitur. Videlicet in quibus pars retinet adpellationem totius, & sunt Nouem.

Caro
Os
Chartilago
Neruus
Chorda
Ligamentum
Vena
Arteria
Panniculus.

Ac præter carnem, omnia reliqua oriuntur ex semine, non ex sanguine. Ideoq; dicuntur ἀσάρκα, etsi ex sanguine conueniens nutrimentum accipiunt.

Recitabimus autem breuißimas descriptiones, quia necesse est aliquo modo nosse discrimina harum

rum partium, quæ & ipſæ ſunt miniſtræ actionum præcipuarum.

Caro σάρξ eſt ſubſtantia ſanguinea, quæ fit, cum craſſior pars ſanguinis coagulata, ſua quadam coctione fit corpus ſolidum & molle.

Oſſa ὀστᾶ fiunt è ſemine, cum id quod craſſiſſimum eſt, á calido urente, induratur, ſicut lapides coquuntur á calido urente. Sunt autem oſſa uelut Truncus ſuſtinens reliquum corpus.

Neruus, νεῦρον. Eſt ſubſtantia è cerebro, aut ſpinali medulla orta, tenuis, mollis, & alba, tenuiſſimis uillis per longum contexta, quæ eſt inſtrumentum præcipuum ſenſus & motus. Nam nerui à cerebro & á ſpinali medulla quaſi tranſuehunt uim ſenſitiuam & motiuam ad membra impulſa ſpiritu.

Oriuntur autem à cerebro ſeptem paria nernorum, quæ partim ad ſenſuum organa perueniunt, partim ſparguntur in alia membra, ut in uentriculum, quod eò obſeruandũ eſt, ut membrorum συμπάθειαι magis conſideretur. Suntq; molliores nerui ex cerebro orti.

Alij ſunt duriores, qui á ſpinali medulla oriuntur. Conuenicbat enim duriores eſſe, quia non ſolum

lum ſenſus, ſed etiam motus inſtrumenta ſunt. Cœterum ſupra dictum eſt, ſpinalem medullã cognatam eſſe cerebro, & quidem ab eo oriri.

Hîc numerantur triginta paria Neruorum à ſpinali medulla orientium, qui paßim in totum corpus ſpargũtur.

Etymologia nominis extat apud Galenum, νεῦρον à uerbo νεύω, quod eſt nuere, agitare, quia nerui ſunt inſtrumenta uoluntarij motus.

Et quia facta eſt mentio uillorum, obiter dicendum eſt, uillos nominari ſubtilißima fila tenacia & ſolida, græci adpellant ἶνας. Cumq; in multis membris dicantur eſſe uilli, ſciendum eſt, non unum eſſe genus uillorum. Sed neruorum uilli nihil ſunt, niſi tenuiſſimæ partes nerui. Et his uilli in panniculis cognati ſunt. Verum in corde nulla eſt cognatio uillorum cum neruis. Ibi enim uilli ſunt ex ſubſtantia cordis, quæ tota eſt caro naturæ cuiuſdam peculiaris. Cœterum ut uoluntario motui ſeruiunt nerui & Muſculi, ita naturales motus, attractiones & expulſiones, cient uilli naturæ nerueæ ubicunq; ſunt in tunicis, ut in uentriculo, ueſicis, inteſtinis, arterijs, ut ſupra dictum eſt.

Vena

Venæ φλέβες sunt canales tenui tunica, uehentes sanguinem crassiorem, quo nutrimur. Galenus censet primam earum originem in Epate esse, & stipitem esse, magnum et amplum canalem, qui nominatur uena caua, quia ut truncus arboris maior est, à quo rami & frondes orientes sunt graciliores, ita iudicat ramos uenarũ á grandi aliquo uase oriri. Hac communi sententia Hippocratica & Galenica contenti simus. Ait enim Hippocrates, ἡ ῥίζωσις φλεβῶν ἡ πρὸ.

Arteriæ ἀρτηρίαι sunt canales tunicis densioribus & firmioribus facti, quorum meatus sunt angustiores, & uehunt spiritus uitales, cum riuulo tenuissimi sanguinis. Origo autem in corde est, ubi stipes est conspicuus, Aorta. Ideo autem necesse est densiores esse Arterias, ne spiritus exhalet, ac sextuplo crassiores sunt Arteriæ, quàm uenæ, Interior enim tunica quintuplo crassior est, quàm uenarum Tunicæ. Hanc ambit alia Tunica exterior tenuis.

Pulcherrimo autem fœdere iunctæ sunt uenæ & arteriæ, ut uenæ suppeditent spiritui materiam, spiritus uerò in arterijs calore suo foueat sanguinem. Ac mutua sunt orificia, ut spiritus ceu flammula rapiat nutrimentum ex uenis, & uenæ spiritum

ſpiritum & calorem ex arterijs. Sic uiuimus, ut in Lychno flamma rapit nutrimentum ex cera, ſic ſpiritus in nobis ſuum alimentum ex uenis haurit, eaq; in re pulcherrimum exemplum mutuæ communicationis in hac ciuili uita nobis propoſitum eſt. Et congruit imago ad multa, quæ Deus uult eſſe conſociata, ad uerbum & ſpiritum ſanctum, Item ad fidem, & opera.

Ligamenta σύνδεσμοι ſunt membra neruis ſimilia, alba, exanguia, & ſine interiore cauitate, duriora neruis, tametſi mediocris eſt duricies, ne nimis dura impediant motum iunctiurarum, neue nimis mollia rumpantur, aut faciant diſlocationes. Cognationem habent cum oſſibus, non cum neruis. Oriuntur enim ab oſſibus, & omni ſenſu carent.

Vtilitas eſt multiplex, alligant oſſibus cœtera membra, ut cor, uentriculum, matricem, ueſicam. Alligant & Muſculos oſſibus. Ariſtoteles impropriè nominat neruos, Sed medici rectè diſcernunt neruos & ligamenta. Eſt enim diſſimilis origo & natura, ut dixi.

Chordæ, τένοντες, membra compoſita ſunt ex neruis & Ligamentis uenientibus ad muſculos, in quorum extremitatibus natæ trahuntur inde ad iuncturas, ut eas moueant cum uolumus. Nam

muſculus

*musculus est mediatum organum uoluntarij motus iunctu*rarum, *chordæ immediatum, quæ quidem trahuntur à Musculo. Musculus uibratus spiritu quem nerui adferunt, mouetur suæ carnis natura, & suis quibusdam fibris, & se dilatat & contrahit, ut hac dilatatione uel contractione* τένων *trahatur. Constat igitur* τένων *ex neruo & Ligamento, ut neruus suppeditet sensum & motum. Sed ne rumperetur, fuit opus alio duriore uinculo. Ideo additum est ligamentum.*

Homerus Iliados 10. *inquit, sectum esse collum Doloni, & duas chordas præcisas, quia in ceruice ascendunt duæ admodum crassæ & conspicuæ chordæ, quæ alligant caput trunco, ac propriè usus est Homerus adplleatione* τένοντ◎. ὃς ἀυχένα μέσσον ἔλασε φασγάνῳ ἀίξας, ἀπὸ δ' ἄμφω κέρσε τένοντε.

Cum autẽ hîc facta sit mentio Musculi, breuissimè addam uocabuli declarationem. Musculus seu lacertus est quiddam confarctum & thorosum, compositum ex neruis, carne, & Ligamento, sicut Galenus inquit, Perinde ut Pileos, ita musculos fieri, permixtis inter se & compactis neruorum, ligamenti & carnis partibus. Inseruntur autem Musculis uenæ & arteriæ, nutritionis & calefactionis

factionis causa, & totum opificium panniculo tegitur. Sed hæ res non sunt partes constituentes musculum. In ima uerò parte Musculi oritur τένων à neruorum uillis & ligamento.

Nomina uerò Musculi & lacerti *sunt à figura sumpta, quia alia parte tenuiores sunt, alia thoraciores & ampliores, & pendet inde τένων uelut cauda. Sunt autem plures quadringentis passim in corpore, ut multæ partes sunt, quæ uoluntarijs motibus cientur.*

Panniculus ὑμήν *est tenuissima membrana ex neruis & ligamentis facta, sed in alijs plus est naturæ neruæ, in alijs plus naturæ ligamentalis, alij enim alijs crassiores sunt, muniunt & alligant membra, & impertiunt sensum plærisq;, ut Epati, cordi, pulmoni, splenі, renibus. Sæpe χιτῶνες & σκεπάσματα à Galeno nominantur.*

Chartilago χόνδρος, *est osse mollior & alijs omnibus membris durior. Huius utilitatis causa facta est, ut sit fulcrum mollius, quàm ossa, & ne ossa inter se durius collidantur.*

Has adpellationes propter insignium rerum diuersitatem discant iuniores, & ut sint minus obscuræ

ſcuræ, accedat inſpectio uel in mactatione pecudum, uel in menſis, ubi etiam diſcrimina quædam mediocriter agnoſci poſſunt, & admirentur prouidentiam & artem opificis, qui tam ſapienter præuidit, quibus motibus & machinis animali opus ſit, & ſumma arte machinas idoneas fecit.

De Humoribus.

Etſi fontes humorum melius cõſpiciuntur, cum modus Nutritionis recitatur, tamen cum humores ſint magna pars in corpore animalis, & non ſolum ſint nutrimentum, ſed etiam diſcrimina plurimarum actionum efficiant, & ſint cauſæ diuerſorum temperamentorum, nequaquam hîc prætereundi ſunt.

Nominatur autem hoc loco humor liquidum & fluidum corpus, in quod conuertitur nutrimentum in Epate, ut corpora nutriantur & conſeruentur. Species autem humorum in corpore animalis nominantur quatuor, Sanguis, Phlegma, Flaua bilis, & Atra bilis. Ac ſimul generantur in Epate hoc modo.

Vt in omnibus mixtis inſunt diuerſæ partes, aliæ igneæ, aliæ terreſtres, aliæ aquoſæ, aliæ aëreæ: Ita in tota maſſa ſanguinea, poſtquam hæc in Epate cocta eſt, igneum quiddam eſt ebulliens, id no-

minatur flaua bilis, quæ est calida & sicca. Inest & terrestre quiddam, fecibus simile. Id nominatur Atra bilis, quæ est frigida & sicca. Manet ibi etiam quiddam aquosum, cuius etsi inchoata est coctio, ut fiat sanguis, tamen nondum perfecta est. Ea igitur pars adhuc alba, insipida, & remissi caloris est. Id nominatur adpellatione usitata phlegma, de qua adpellatione postea dicam. Reliqua est pars aërea, calida & humida, sed temperata, dulcis, pinguis, suauiter nutriens. Ea pars propriè nominatur sanguis.

Hæc discrimina humorum Galenus pingit uenusta similitudine. Vt uidemus in mustis efferuescentibus ebullire id, quod tenuius est, quod ipse nominat ἀνθῶν, deinde quiddam inesse aquosum, subsidere etiam feces. Ita sunt in massa sanguinea totidem humorum discrimina.

Plato dixit bilem flauam & atram accendi ut uicia in sanguine, nec narrat utilitatis causa nasci naturæ ordine in humano corpore. Sed sciendum est, has ipsas species in corpore diuersorum modorum esse. Alij humores sunt Naturales, qui ordine naturæ & magnarum utilitatum causa in corpore humano nascuntur. Alij sunt præternaturales ac uicioſi, qui in ea crasi existunt, quæ multum ab

æqualitate

æqualitate recedit, aut corrupta est. De his uiciosis humoribus tantum loquitur Plato, cuius uituperatio seu querela non leuis est. Ait non nutriri ab eis corpora, & inimicos esse temperamento, οὐδεμίαν τροφὴν τῷ σώματι παρέχειν. Admonendi sunt igitur iuniores, ut discernant humores naturales à uiciosis.

Sanguis est humor calidus & humidus, sed temperatus, dulcis, aëreus, pinguis, optima & præcipua pars nutrimenti. Etsi enim semper cum sanguine uehuntur reliqui humores, & simul fiunt nutrimenta, ut sanguis dilutus phlegmate magis alit frigida & humida membra, ut cerebrum. Biliosus magis alit pulmonem. Melancholicus magis alit ossa, tamen præcipua nutrimenti pars est id, quod propriè est sanguis. Nam nutrimentũ oportet esse dulce, aut dulci succo dilutum. Hæc de sanguinis utilitate breuissimè recitasse satis sit.

Phlegma est humor subaquosus, qui cepit coqui, ut fiat sanguis, sed nondum percoctus est. Ideo est subalbus, insipidus, tenuis, non pinguis, nec colore æquans sanguinem. Vtilitates eius sunt, materiam esse, ex qua fit sanguis, cum paulatim magis coquitur. Item ardorem sanguinis mitigare. Item prohibere, ne sanguis fiat densior & aridior. Item,

cum sanguine alere cerebrum & alia phlegmatica membra.

De nomine phlegmatis rixati sunt & ueteres. Et adparet initio sic uocatum esse uiciosum humorem aduſtum. Notiores enim sunt populo uiciosi humores. Et à populo uocabula accipimus. Prodicus maluit hunc humorem nominare βλέναρ, id est, pituitam. Opinor autem & id nomen initio uiciosi humoris fuisse. Interpretantur enim βλέναρ, μύξαν. Postea docti transtulerunt nomen ad humorem non uiciosum.

Flaua bilis ξανθὴ χολή, non uiciosa, est spuma sanguinis calida & sicca, quæ fit, cum calidiores & sicciores partes chyli propter fortem calorem sic ebulliunt. Saporis est amari, qui propriè dicitur πικρός, ut Galenus expreßè discernit utranq; bilem saporibus, inquiens. Καί τοι τῶν χολῶν, ἡ μὲν ἀεὶ πικρὰ φαίνεται, καὶ μικρῷ μοχθηρῷ χυμῷ ἡ γλώττης, ἡ μέλαινα δὲ ὀξεία. Colores etiam in non uiciosa bile differunt. Aliàs magis, aliàs minus rubet, quare & rubram & flauam nominant.

Vtilitates eius sunt, dißipare & penetrare, aperire meatus, ubi cum sanguine uehitur, & simul alere membra cognata, ut pulmonem. Nec tota

uehitur

uehitur cum ſanguine. Sed maior pars deriuatur in folliculum fellis, quæ & ipſa eſt bilis non uiciosa. Sunt autem exuelle meatus, qui uehunt flauam bilem ad inteſtina, ut inde pellat feces.

Iuniores & de nomine admonendi ſunt. Aliud eſt χολὴ, aliud χολεδὰ apud ueteres, qui morbum nominant χολεδὰρ, a bile largiter influente in uentriculum, & erumpente per uomitus & per inferiora. Eſt autem diligentia digna ſtudioſis, recte loqui.

Atra bilis non uiciosa, eſt humor magis craſſus & terreſtris, qui in ſanguine ſubſidit, propemodum nigro & ſpiſſiori uino ſimilis, ſed eſt frigidus & ſiccus. Pars uehitur cum ſanguine, quæ tamen quia diluitur ſanguine, pontici ſaporis magis eſt, quàm acidi, ut Acaciæ ſeu cydonium. Reliqua naturalis deriuatur in ſplenem, quæ eſt acida.

Vtilitas eius eſt, ſanguinem reddere ſpiſſiorem & adſtringere, & ubiq; adiuuare retentinem, & unà cum ſanguine, nutrire Melancholica membra, oſſa & ſplenem.

Recitauimus diuerſas humorum ſpecies, quas natura gignit magnarum utilitatum cauſa. Sed horum corruptio perniciosa eſt, ut iam dicam. Ac

Plato uituperans utranq; Bilem, tantum de corruptis humoribus loquitur. Nunc igitur & breues distinctiones addam de humoribus à naturæ ordine recedentibus.

Humores à naturæ ordine recedentes ac uicioſi dupliciter corrumpuntur, aut quia ſine alterius admixtione, ſubſtantia ipſa degenerat, aut quia miſcentur alij uicioſi. Sanguis degenerat, ut cum putreſcit clauſis poris, ac uertitur in bilem uicioſam, unde oritur continua febris.

Corrumpitur etiam ſanguis admixtione alterius humoris, ut in Hydrope prior maſſa ſanguinis uiciatur adfluente crudo humore, non cocto in Epate. In Ictericis adfluente bile.

Phlegma non naturale quoddam nominatur crudum, quod eſt humor aquoſus, frigidus & humidus, redundans in corporibus propter infirmam coctionem. Idq; aliàs tenuius eſt, quod ſputo uel per Nares eijcitur, & interdum ut in coryza largiter deſtillat, aliàs craſſius eſt, quod uomitu & egeſtionibus interdum eijcitur.

Aliud quoddam phlegma nominatur ſalſum, cum uidelicet phlegmati miſcetur rufa bilis, quod quidem ex ſapore ſputi facile iudicari poteſt, & in corpo=

in corporibus intemperantiũ, qui ſalſis cibis utuntur, naſcitur copioſius, ac inde perniciosi catarrhi oriuntur. Nominatur Acetoſum, cum miſcetur atra bilis.

Degenerat per ſeſe flaua bilis, cum aduritur, & fit atra bilis uicioſa & cinerea, denſa & mordax, ſicut paulatim in picrocholis degenerat rubra bilis in aduſtã, uel ætate, uel uehementioribus motibus, quare tales πικρόχολοι ſeneſcentes fiunt furenter iracundi.

Corrumpitur autem flaua bilis admixtione alterius humoris, ut cum miſcetur tenue phlegma, & rubor diminuitur. Hæc bilis nominatur citrina ſeu pallida. Sed ſi eſt craßius phlegma admixtum, fit bilis uitellina, ſic dicta, quòd color imitatur uitellum oui. Fiunt autem tertianæ febres nothæ ex bile, cui phlegma admixtum eſt.

Præter has ſpecies gignitur in uentriculo humor uiridi colore, qualia ſæpè uidemus eſſe infantium excrementa, aut aliorum. Sæpe & in uomitu uiridem humorem ualde mordacẽ eijcimus. Hic humor etſi fit admixtione bilis, & immodica aduſtione, tamen non eſt uerè bilis, ut Iacobus de partibus rectè diſputat. Sed crudus humor in uentriculo nimis uſtus, cui aliqua bilis influens in uen-

triculum admixta est. Nominatur autem à Galeno Prasina bilis, quòd uiriditas imitatur porri colorem. πράσον enim significat porrum. Et cum uiriditas est obscurior, nonnihil ad fuluum colorem accedens, nominatur hæc bilis æruginosa, græcè ἰώδης, ab ἰὸς, quod significat rubiginem. Nam rubigo uetus quasi uirescere incipit. Talis bilis sæpè uomitu eijcitur.

Atra bilis uicioſa est, cum uel cœteri humores, uel ipsa atra bilis ita aduritur, ut humor cineris naturam crassiorem & mordacem referat. Nam & Hippocratis aphorismus testatur, degenerare sanguinem ac rubram bilem, cum aduruntur clausis poris in atram bilem. Verba aphorismi hæc sunt, ὡσαύτως τὸ ἐπίχολον ἢ ἔναιμον σῶμα, μελαγχικὸν γίνεται, μὴ ἔχον ἔξερρωσίας. Pariter bilioſum & sanguineum corpus, fit melancholicum, ubi non effluunt seu exhalant fumi. Et hinc multiplices amentiæ existunt.

Cum melancholia est ex sanguine, & diluitur modico sanguine, efficit amentias ridiculè lætantium, quale aiunt fuisse delirium Democriti hilarius, qui ridere solebat hominum stulticiam, eaq; animi tranquillitate uitam produxit usq; ad annum centesimum nonum suæ ætatis.

Cum

Cum uerò melancholia eſt ex rubra bile, aut diluitur multa rubra bile, fiunt atroces furores & maniæ, qualis fuit Herculis & Aiacis furor. Vt Virgilius de ira Herculis inquit:

Hîc uerò Alcidæ furijs axarſerat atro
Felle dolor.

Etſi enim rubra bilis in ira cietur, tamen Virgilius atram nominat, quia rubra mixta eſt atræ copioſiori, imo & uritur, ac uelut cinerea eſt ſimul cum atra.

Si diluitur copioſo phlegmate, fit inuſitata ſegnicies, ſicut ipſi uidimus mente errantem, qui ferè perpetuo dormiebat, ſummiſſe loquebatur, nec excitabatur, niſi citharæ ſono, quem cum audiret, attollens caput, arridere incipiebat, & interrogatus hilariuſculè reſpondebat.

Si ipſa per ſeſe atra bilis redundans aduritur, fiunt triſticiæ maiores, fugæ hominum, qualis fuit Bellerophontis mœſticia.

Qui miſer in campis errabat ſolus Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum ueſtigia uitans,
ut inquit Homerus.

Sed hæ ſpecies mira uarietate miſcentur, ſicut temperamentorum uarietas multiplex eſt. Vna

quàm uarie temperata sunt? Creticum, Italicum, Rhenanum, Neccharinum, quantum differunt? Quia ex terra & aëre succus in uitibus differt. Ita species humorum eædem in alijs generosiores, mitiores, & puriores sunt.

Ita differunt humores in corpore humano propter temperamenta parentum, & propter cœlestes causas. Multo generosior est melancholia, si coniunctione Saturni & Iouis in Libra temperetur, qualis uidetur Augusti melancholia fuisse, quàm si confusa sit Saturni, Martis & Lunæ congressu in Scorpio, qualis Catilinæ melancholia fuisse uidetur.

Hæc ideo recito, ut admoneam iuniores, non posse enumerari omnes modos uarietatis humorum, uel bonorum uel uicioſorum.

Homerus mœsticia mortuus dicitur, ænigmatis perplexitate uexatus.

Heraclitus Ephesius sæpè lacrymabat senex deplorans hominum miserias, quem quidem fuisse Melancholicum & Theophrastus scripsit, tribuens melancholiæ, quòd obscura & confusanea scripsit, quæsiuit solitudines, & immundicie uictus Hydropicus factus est. Postea sperans se aquã illam

illam intra cutem desiccaturum esse, iussit se obli-
ni stercore Boum, & ad solem exponi. Inde mor-
uus fertur.

Empedocles furens insilijt in Aethnæ uoragi-
nes.

Sophoclis delirium fuit multo suauius, qui con-
uiuia appetebat, & oblectabat se scribendis poë-
matis, negligens administrationem rei domesti-
cæ.

Marius deliruns imaginabatur expeditiones &
prælia, adeo ut gestus & clamorem pugnantis re-
præsentaret.

At Luculli amentia fuit hilarior ac mitior. Ita
in senibus, cum degenerat melancholia, efficit dis-
similes amentias.

Hîc breuiter adiungam Aristotelis quæstionem
de Atra bile, non solum ut natura humoris propi-
orius aspiciatur, sed etiam, ut multi inuitentur ad
illas ipsas Aristotelis paginas legendas, quæ doctri-
nam dulcissimam continent.

Interrogat autem, qui fiat, ut multi ingeniosis-
simi homines, qui uel in artibus, uel in studio sapi-
entiæ, uel in gubernatione excellunt, melancholici
sint? Vt Archimedem melancholicum fuisse non
dubium est, qui adeo intentus fuit suæ speculatio-
ni, ut non senserit tumultum captæ urbis. Et antea

sæpè

sæpè stans cum ungeretur oleo, pinxerit taci
geometricas figuras in ipsis femoribus oleo pe
fusis. Cum in balneo inuenisset rationem, qua a
prehendi posse intelligebat, quantum aureæ cor
næ argenti admixtum esset, exilijt, ac nudus p
plateas currens uociferatus est, εὕρηκα, εὕρηκα.

Hîc *quæritur de Atra bile, an & quomo*
præstantiores motus in ingenijs efficiat? Apone
sis non rectè iudicat, qui existimabat hos motus
magnis uiris ab adusta bile esse, non à natura
Nam adusta efficit furores, & amentias, non pa
motus, qui reguntur consilio. Deceptus *est Ap*
nensis, cum putauit Aristotelem hoc interrogar
An paulatim ætate Heroici uiri fiant melancho
ci? Id enim non proponit Aristoteles, sed ipsas na
turas & temperamenta eorum sentit esse Melan
cholica. Ac deinde satis ostendit, se non de uicio
humore loqui, sed de naturali. Ait triplicem es
atram Bilem. Asininam dilutam multo phlegmate
quæ adfert frigidos morbos, nec prodest ingenijs
Altera est adusta, quæ furores ciet. Tertia est no
uiciosa, quæ cum est copiosior, & sanguini tem
perato aptè miscetur, efficit acriores, ardentiores
& tenaciores impetus.

Ac *uenustissimè confert Aristoteles atram bi-*
lem a

m ad uinum. Vt enim uinum dissimiles motus in
brijs efficit, alij fiunt hilariores, alij facilius in=
enduntur ira, alij lacrymant, quia cum sit cali=
um, spumosum & halituosum, excitat calorem
nguinis, & gignuntur spiritus pro qualitate san=
uinis copiosiores, unde in græco uersu dicitur:
ν& πρόωοις τῶν χωμιώων κεχάννυται.
ic & atra bilis, cum sit halituosa, & tenacior,
fficit in sanguine spiritus copiosiores & arden=
ores, sicut ignis in ferro urit multo uehementi=
, quàm in stipula.

Fiunt autem hæc aliàs magis, aliàs minus, aliàs
oncinnius, aliàs minus concinnè, iuxta diuersita=
m crasis. Conspectior autem est uarietas humo=
um in morbosis corporibus, ubi insigniter turba=
a est harmonia temperamenti, & excessus unius
ualitatis aut humoris magno cum cruciatu per=
cipitur. Quàm mira dissimilitudo est aduste bilis
n communi scabie, in Lepra, in morbo gallico, ut
ominant, in cancro, in phthiriasi, in phagedæ=
a, quæ nominatur lupus uorans?

Discrimen in crasi temperata obscurius est. Et
amen ibi quoq; multi gradus sunt, & magna est
uarietas. Nominatur autem temperata crasis, in
qua utcunq; æqualitas est, & proportio qualita=
tum,

tum, ſpeciei conueniens. Nec intelligatur tam perfecta harmonia, ut non ſit aliqua leuis, ut ita dicam, diſſonantia. Recedit igitur ſemper temperata ad aliam craſin, ſeu plus, ſeu minus. In Platone Scipione, diſcedebat temperata craſis magis ad melancholicam. In Alexandro magis ad ſanguineam.

Cum igitur Ariſtoteles tribuit ingenij præſtantiam melancholicis, loquí eum de temperata craſi ſciamus, declinante ad melancholicam. Excellit enim hæc temperata craſis declinans ad melancholicam, quia in tali ſanguine ſpiritus efficiunt acriores, ſtabiliores, & ardentiores motus, qui tamen ſunt concinni, quia harmonia aliquo modo temperata eſt, & ſanguis nonnihil refrigeratur, & eſt ſedatior, propter melancholiam non uitioſam. Ita & Ariſtoteles inquit in ſecundo libro de partibus animalium. Sanguis craſſior & calidior efficit maius robur. Sed tenuior & frigidior auget uim ſentiendi & intelligendi. Verba Ariſtotelis hæc ſunt. ὅσῳ δ' ἰσχύϊ μὲν ποικιλικώτερον τὸ παχύτερον αἷμα καὶ θερμότερον. Αἰσθητικώτερον δὲ καὶ νοερώτερον τὸ λεπτότερον καὶ ψυχρότερον.

Breuiter autem & hoc monendi ſunt iuniores, quòd mores plerunq; imitantur craſin, ut quo propior

pior est crasis temperatæ, eò sunt adfectus, gestus & mores magis placidi & concimni, ut in Lelio, qui pingitur in exemplo Mitionis.

Cum est excessus Rubræ bilis, naturæ sunt iracundæ, & irritabiles, & accensa ira cito deflagrat, gestus sunt concitatiores, stulti & turbulenti impetus, loquacitas & futilitas, ferocia in lacessendo, nec tamen in sustinendo firmitas. Qualis est natura in canibus. Ideo de Agamemnone inquit Achilles, κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Et multi tales sunt δρασύθελοι.

Cum est excessus Atræ bilis, naturæ sunt tristiores, taciturnæ, sedulæ, morosæ, suspicaces, pertinaces, aliæ magis, aliæ minus.

Cum est infœlix confusio Rubræ & atræ bilis, sunt monstrosæ naturæ, plenæ superbiæ, maleuolentiæ, ueneni, & fraudum, Thersitæ, Simonis, Timonis similes. Μισάνθρωποι, μωρόκακοι, & πικχαιρέκακοι.

Cum excessus est phlegmatis, naturæ sunt segnes, fugiunt laborem, & dedunt se uoluptatibus corporis, amant delicias cibi & potus, quales fuerunt, Margites, Sardanapalus, Bonosus & similes dissimilimi

dissimilimi uiris fortibus, de quibus scripsit Hesiodus, ut citat uersum Polybius, διακρίθηναι πολέμῳ κεχαρισμένος ἦεν ἅπασι.

Sed omnium specierum magna uarietas est ut in singulis corporibus temperamenta propter diuersas parentum naturas, & diuersas stellarum commixtiones differunt. Ac Medicis necessariam esse considerationem harum dissimilitudinum constat. Prodest autem & in communi uita ad tuendam ualetudinem, ad regendos mores, ad circumspectionem in familiaritatibus. Omnino necessaria diligentia est uitare monstrosas, superbas, maleuolas, & perfidiosas naturas.

Præterea cum animaduertimus in nobis ipsis ad quæ uicia proniores simus, uigilantia & adsuefactione eas inclinationes frenare, & extinguere annitamur. Sciamus etiam à Filio Dei petendum esse auxilium, ut uiciosos impetus in nobis reprimat & frangat, sicut scriptum est: Quanto magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

De Spiritibus.

Spiritus est subtilis uapor ex sanguine coctus uirtute

uirtute cordis, ac incensus, ut sit uelut flammula, quæ in diuersis membris dissimiles habet actiones. Quanquam enim unus est fons spirituum, tamen locis mutantur, & mutati dissimiles habent actiones.

Sunt autem species duæ. Spiritus uitalis est flammula ex purissimo sanguine in corde nata, calorem uitalem deuehens ad cœtera membra, & impertiens eis uim exercendi actiones, quas calore uitali efficiunt. Ad hunc usum supra dictum est arterias esse conditas, ut hunc spiritum in omnia membra transuehant.

Spiritus Animalis est ex eodem genere spirituum, qui nati sunt in corde, pars transmissa ad cerebrum, ubi uirtute cerebri fit lucidior, & conueniens temperamento cerebri, & in neruos infusa uelut lumen, ut eos impellat, & actiones sensuum & motum localem cieat.

Etsi enim alij disputant, unde generetur hic spiritus, tamen consentaneum est, oriri eum à uitali spiritu, ut Galenus inquit, libro septimo de dogmatum Hippocratis & Platonis consensu. οὕτω τὸ ψυχικὸν πνεῦμα ἐκ τοῦ ζωϊκοῦ καταφυγὰ θέντος ἐπὶ πλέον ἔχει τὴν γένεσιν. Et manifestum est, spiritum fieri meliorem in cere-

bro, quando bonum est cordis temperamentum, & quando cor non turbatum est ira, & mœstitia.

Quidam addiderunt tertiam speciem, uidelicet spiritum naturalem in Epate, qui ibi fouet sanguinem, & in sanguine halitus excitat. Sed commodius est dicere, uitalem spiritum à corde etiam ad Epar transuehi, qui calorem uiuificum Epatis adiuuat in generatione sanguinis. Est enim cor fons uitæ.

Iam cogitent studiosi hoc mirandum Dei opus in homine. Spiritu uitali & animali actiones præcipuæ efficiuntur, uitæ conseruatio, nutritio, generatio, deinde sensus, motus, cogitatio, adfectus in corde. Ideo aliqui dixerunt, Animam esse hos spiritus seu flammulas uitales & animales. Galenus inquit de Anima hominis, Hos spiritus aut Animam esse, aut immediatum instrumentum animæ. Quod certè uerum est, & sua luce superant solis & omnium stellarum lucem. Et, quod mirabilius est, his ipsis spiritibus in hominibus pijs miscetur ipse diuinus spiritus, & efficit magis fulgentes diuina luce, ut agnitio Dei sit illustrior, & adsensio firmior, & motus sint ardentiores erga Deum.

Econtra ubi Diaboli occupant corda, suo adflatu

flatu turbant spiritus in corde & in cerebro, impediunt iudicia, & manifestos furores efficiunt, & impellunt corda & alia membra ad crudelissimos motus, ut Medea interficit natos. Iudas sibi ipse consciscit mortem.

Aspiciamus igitur naturam nostram, & diligenter eam regamus, & sciamus, oportere spiritus nostros esse domicilium Spiritus sancti, & oremus Filium Dei, ut ipse depellat à nobis diabolos, & spiritum diuinum in nostros spiritus transfundat.

DE POTENTIIS ANIMAE.

Ostendimus utcunq; picturas membrorum corporis humani. Cum enim necesse sit discerni actiones animæ, et actionum fontes, uidelicet potentias, & aliæ sint sedes et organa aliarũ potenitarum in corpore, simul necesse est membra corporis aspici, ut sedes cogitationum est cerebrum, sedes adfectuum cor. Deinde alia sunt instrumenta præparantia & coquentia nutrimentum, alia regentia motum localem. Vt autem hæc uarietas aliquo modo intelligatur, consideranda est fabricatio corporis, in quo ideo diuersa membra condita sunt, ut sint instrumenta diuersarum actionum. Vtinam

uerò etiam aſpicientes artem in hac miranda fa
bricatione & ipſas actiones hominum, ſcilicet No
ticias, dijudicationem, raciocinationem & electio
nem, agnoſcamus hanc rerum naturam non caſ
ex atomis confluxiſſe, ſed mentem æternam im
menſæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis architec
tatricem eſſe, quæ ideo condidit hominem, & i
cum transfudit radios ſuæ lucis, ut eum agnoſca
mus, & ei obediamus, & ſimilitudinem diuinitat
in nobis tueamur.

Quis ſit finis hominis.

Nunc autem redeo ad quæſtiones uſitatas de Potentijs.

Quot ſunt potentiæ Animæ?

Quinq; numerantur diſtinctæ his adpellationibus, Vegetatiua, Sentiens, Appetitiua, Motiua ſecundum locum, & intellectiua Hanc perſpicuam enumerationem retineamus, omiſſis rixis.

Quærunt alij, quomodo hæc ad medicorum diſtributionem accommodari poſſint, qui potentias tres numerant: Naturalem, animalem, & uitalem. In has diſtribuit cœteras potentias Galenus in libro de cauſis morborum. Naturalis eadem eſt, quæ nominatur uegetatiua. Animalis comprehendit ſenſus exteriores & interiores, & Locomotiuam.

motiuam. Vitalis est potentia cordis, uiuificum calorem & spiritus suppeditans cœteris, qui & fouent calore alias partes, & fiunt instrumenta actionum. Est & cor sedes adfectuum, qui propriè sic nominantur, ut suo loco dicemus.

Sed superuacaneum est recitare dissimiles enumerationes, præsertim cum rebus cognitis, non difficile sit iudicare, quæ adpellationes cum quibus congruant, & quæ species alicubi omissæ sint.

DE VEGETATIVA.

Tria sunt officia uegetatiuæ potentiæ. Nutrire, augere, & gignere. Nihil repugno si qui uegetatiuam partiri uolunt in tres potentias, Nutritiuam, Augentem, & Generatiuam. Sic enim aliqui loquuntur.

Quid est nutritio?

Nutritio est conuersio nutrimenti in substantiam animati, facta ui caloris naturalis, ut instauratio fiat in eo, quod absumi cœperat.

Quæ sunt organa in Animalibus?

Nutritionis organa uocantur membra propriè destinata ad accipiendum, transmutandum, &

transuehendum nutrimentum, scilicet, Os, Oesophagus, Ventriculus, Epar, & uenæ deferentes sanguinem. Quanquam enim nutritio fit uirtute omnium partium corporis, quæ conuertunt nutrimentum in substantiam suam, tamen aliæ partes non nominantur huius officij organa, quia habent alias functiones principales. Ac oesophagi uentriculi, Epatis, uenarum tantum hæc sunt officia, ut nutritioni seruiant. Ideo usitatum est has partes nominare organa Nutritionis.

So Lucio obic. Chionis.

Attribuuntur autem singulis membris uniuersaliter quatuor ministræ facultates: Attractiua, Retentiua, Alteratiua, & Expulsiua. Hæ facultates seruiunt nutritiuæ. Nutrimentum attrahitur, & retinetur uirtute certorum uillorum, ut supra dixi. Transmutatur uerò propria membri, ut uentriculi & Epatis, natura. Superfluitas autem expellitur, & adiuuant certi uilli expulsionem.

Quomodo fit Nutritio in corpore humano?

Plantæ nutrimentum per radices excipiunt. In Insectis & in piscibus desunt quædam membra. Quare omissis animantibus cæteris, dicam de nutritione in corpore humano.

Etsi

Etsi autem postea discernemus genera adpetitionum, tamen nunc ex eo loco aliquid huc transferendum est. Vt enim fiat nutritio, ordinatæ sunt appetitiones cibi & potus, Fames & sitis.

Descriptio famis apud Galenum hæc est: Fames est sensus suctionis uenarum, quæ cum deest nutrimentum, mulgentur ab exhaustis membris, quare cum & ipsæ sugunt uentriculum, fit corrugatio uentriculi & orificij, quæ sensu percipitur. Adfluit etiam aliquid atræ bilis, quæ sua mordacitate acuit sensum illum corrugationis. Deinde imaginatio hoc irritata dolore, iudicat cibos quærendos esse.

Aliqui tantum dicunt causam adpetitionis esse, frigiditatem uentriculi, & atram bilem adfluentem ad orificium uentriculi. Sed hæ non sunt principales causæ, uerum suctio uenarum est principalis causa famis. Omnibus enim membris naturaliter ineſt uis attrahendi nutrimentum ex uicino. Membra igitur exhausta mulgent uenas, uenæ sugunt uentriculum. Inde sequitur uentriculi & orificij corrugatio, quæ dolorem adfert propter concursum multorum neruorum in orificio.

Deinde sitis causa magis etiam perspicua est.

Natura arefacta indiget rigatione. Et ſuctio uenarum magis arefacit uentriculum & eius orificium. Et cibus cum ſit calidus & ſolidior, minus opitulatur arefactioni. Appetitio igitur oritur frigidi & humidi nutrimenti, quæ nominatur ſitis. Sentitur autem propter arefactionem in orificio uentriculi. Ita Galenus diſertè inquit, Famis & ſitis Organum eſſe Orificium uentriculi, propterea, quòd in eo loco ſentitur irritatio.

Hæc de naturali fame & ſiti dicuntur. Poſtea ut Βουλιμίας ſunt] aliæ cauſæ, ita ſitis præternaturalis ſeu uicioſa habet alias cauſas. In Cruditate & in febribus halitus calidi & ſanguinis ac ſpirituum accenſio arefaciunt œſophagum & fauces, unde ſitis fit ardentior. Magna mœſticia propter extinctionem ſpirituum arefacit uaſa, & accendit ſanguinem, ut poſtea rigationem auidius adpetant & œſophagus & uenæ.

De modo nutritionis.

Et ad conſeruationem ualetudinis, & ad medicationes, ac multorum morborum depulſiones præcipuè conducit noſſe modum nutritionis, de quo tamen eo breuius dicam, quia ex deſcriptione Anatomica, ubi dicitur, ad quos uſus ſingula membra con-

bra condita sint, utcunq; & ordo ac modus nutritionis cognosci possunt.

Cum uentriculus accepit nutrimentum, amplectitur ipsum, ut coquat & uertat in chylum. Postea chylus per πυλωρὸν emittitur in Duodenum intestinum & Ieiunum. Ex Ieiuno uenæ Mesaraicæ rapiunt id, quod purius & liquidius est, ac transuehunt in Epar. Lutulentum uerò pellitur ex Ieiuno in inferiora intestina. Transuectus autem chylus in Epar, ibi coquitur ac uertitur in massam sanguineam, in qua insunt, ut dictum est, quatuor humores. Sed horum fit ex aliqua parte separatio. Multum rubræ bilis deriuatur in folliculum fellis, multum atræ bilis in splenem transmittitur. Aquosa superfluitas cum uentum est ad cauam uenam, plurima effunditur in uenas emulgentes, & destuit ad renes & uesicam, sitq; urina.

Reliquum sanguineæ massæ, quod est in caua uena, distribuitur inde in tres partes. Vna euehitur in ramos ascendentes. Secunda in dextrum thalamum cordis, ut cor & pulmonem nutriat, & ut inde transfundantur riuuli in sinistrum thalamum cordis, unde spiritus gignuntur. Tertia pars sanguineæ massæ labitur in ramos ex trunco uenæ cauæ descendentes, ad alenda inferiora membra.

In extremitatibus autem uenarum sanguis illi uertitur in secundam humiditatem, quæ nominatur Cambium, quæ iam membris adponitur & assimilatur, quæ quidem assimilatio re uera est generatio quædam, facta uirtute spirituum & caloris naturalis in quolibet membro. Quia cuilibet membro insunt, ut ante dictum est, attractio, retentio, alteratio, & expulsio. In quolibet enim ζωϊκῇ φυλακῇ, est ipse calor naturalis, qui & fouetur spiritu uitali, et est harum uirium copulatio, uidelicet attrahendi, retinendi, alterandi & expellendi.

Digestiones in corpore tres.

Hic modus est nutritionis, in quo gradus sic discernuntur. Digestiones tres numero. Primam in uentriculo. Secundam in Epate. Tertiam in extremitatibus uenarum, ubi sanguis uertitur in secundas humiditates, quæ nominantur cambium. Id postea attrahitur à membro nutriendo, & in eius substantiam uera generatione conuertitur, ut dictum est. Etsi autem de numero digestionum alij aliter locuti sunt, tamen prolixiores & inutiles disputationes addere nolui.

De Materia nutritionis, & alijs rebus eam adiuuantibus.

Dictũ est de potentia, de organis, de modo nutritionis, Iam & de materia, uidelicet de nutrimentis, de cibis et potu, & de externis rebus adiuuanti

bus

bus nutritionē dicendum erat, quæ numerātur ſex.

Aër.
Cibus & potus.
Somnus & uigilia.
Motus & Quies.
Euacuatio.
Adfectus Animi.

Hæc ſex genera nominantur res non naturales, quia non ſunt partes in hominis ſubſtantia. Nos hic recitamus, ut appellatio rerum non naturalium, quæ tamen nutritioni ſeruiunt, nota ſit. Et prodeſt ſæpè commonefacere iuniores de his ipſis rebus, ut maiore cura obſeruent, quid conducat ualetudini, quid noceat. Petenda eſt autem longior doctrina à medicis.

Videmus hominem non niſi in aëre uiuere. Et manifeſtum eſt, expiratione opus eſſe, ne multitudine ſpirituum repleta ſede cordis ſtrangulentur homines. Inſpiratione uerò opus eſt, quia aër refrigerat cor, & pars aëris mutatur in ſpiritus admixta halitibus, qui ex ſanguine naſcuntur. Hinc intelligi poteſt, facilimè inſici corda uenenato aëre. Præterea aër totum corporis temperamentum uariat. Alia natura eſt corporis nati & educati in aëre Scythico, ubi ſunt corpora urſis ſimiliora, alia in aëre Libyco, ubi corpora ſunt ſimiliora ſimijs. Nec addam plura de aëre.

Cibus & potus.

De cibis & potu consideret quisq; , qui sint & communi hominum naturæ,& suo temperamento conuenientes. Nam sapientia Dei res certæ ita conditæ sunt,ut propter cognationem cum corpore humano , uerti in sanguinem & addi corporibus nostris possint , aliæ magis, aliæ minus , ut ex tritico & uino fit sanguis. Ex arborum folijs & corticibus sanguis fieri non potest. Tantum uerò addam hîc duo dicta Hippocratis , quorum alterum monet,ut eligantur cibi conuenientes suo cuiusq; temperamento,qui uel arcere morbos,uel lenire possint , ut hi qui frigidum uentriculum habent , non bibant aquam , aut nimis tenuem cerevisiam , sed uina mediocria, non cruda. Qui propter temperamentum calidius & siccius,aut etiam propter mœsticiam parum dormiunt, utantur lactuca,amygdalis,croco. In hanc sententiam inquit Hiprocrates. Ἐν τροφῇ φαρμακίη, ἄρισον. Hanc regulam nosse & sequi in uictu, omnibus iunioribus & senioribus ualde utile est,possuntq; hac diligentia sæpè arceri periculosi morbi.

Sed medicamenta , quæ non sunt cibi , nequaquam cibis miscenda sunt. Vt, rha barbarum , aut Agaricum non misceatur cibis. Ideo & hæc sententia ab Hippocrate tradita est. Ἐν τροφῇ φαρμακίη

μαλὶν φλαυζομ, quia diuersæ sunt actiones cibi & pharmaci, & impeditur actio naturæ cibum coquentis, cum interea pharmacum trahit & pellit uiciosos humores.

De motu & quiete, hoc tantum monendi sunt iuniores. Agitatio corporum præcedat cibos. Excitatur enim calor, superfluitates consumuntur, & expelluntur, & irritatur Adpetitio. Ita inquit Hippocrates. Πόνοι σιτίωμ ἡγείσθωσαμ.

Maiore etiam cura omnes iuuenes & senes post sumptum cibum uitent omnes uehementiores motus corporis & animi, uitent & uocis contentionem. Tribuenda est enim quies uentriculo amplexo iam cibum, qui cum agitatur, patefit stomachus, & exhalant spiritus & calor, et fit dissipatio cibi. Hunc igitur sensum et precudibus natura mditúm uidemus, ut postquam pastæ sunt, ament quietem, & cubantes placidè fruantur quiete. Nec dubium est, multos homines sibi certum exitium accersere talibus intempestiuis agitationibus, post sumptum cibum. Et exempla quædam uidimus.

De Euacuatione ordo naturæ notus est. Deinde magna uarietas est Euacuationum, de qua consulendi sunt medici.

De

Animi affectus.

De adfectibus animi, quare ita conditi sint in natura, ut uel foueant uitam, uel extinguant, & sint tanquam flammæ uindices & executio iudicij diuini, infra dicam. Certum est autem, ualde multos homines tantum mœsticia contabescere & interire, quia cor, quod sedes est adfectuum, torrefit, & spiritus gignuntur debiliores, & languescunt omnes aliæ uires. Ideo Hippocrates inquit, φροντὶς, χαλεπὴ νόσος. Medicatio autem omnium efficacissima est, fiducia præsentiæ & auxilij diuini acquiescere, & à Deo petere & expectare uel liberationem uel mitigationem, iuxta dictum: Iacta in Deum curam tuam, & ipse te enutriet.

Somnus & Vigilia.

De somno necesse est plura dicere. Et consideratis somni causis & utilitatibus, magna pars doctrinæ de potentijs animæ fit illustrior.

Somnus est quies Animalis uirtutis, quæ fit, cum uapores utiles ex nutrimento exhalant in cerebrum, qui ibi suauiter liquescunt, & passim fluentes in cerebro obstruunt meatus sensuum & neruorum motiuorum.

Initio autem causa finalis consideretur, quia mirum uideri potest, cur facta sint hæc interualla motuum in animalibus, cum cœlestes motus, & fluminum nulla habeant interualla. Sed hic ordo animalibu

malibus ſancitus eſt: Quod caret alterna requie durabile non eſt. Loquamur autem de hominibus, non de pecudibus.

Sicut tota natura hominis ita condita eſt, ut paulatim & conſumptio fiat natiui humidi, & facienda ſit inſtauratio per nutrimentum, & poſtea acceſſerit hominum naturæ ſenectus & mors, eadem cauſa eſt, cur opus ſit alimento & quiete. Nam & quies ſeruit conſeruationi membrorum in hac natura, qualis nunc eſt. Cerebrum adſidua intentione, & cor adfectuum motibus arefierent & langueſcerent, ſi non recrearentur quiete. Quare ad hunc finem ordinata ſunt hæc interualla, ut fiat rigatio cerebri, & in ipſa quiete rurſus colligatur naturalis calor, item, ut cor aliquantiſper minus turbetur adfectibus, & recuperet uires, & gignat ſpiritus maiore copia. Ac tunc ſimul iuuantur uentriculi & Epatis actiones, quia calor & ſpiritus minus effunduntur quieſcente corpore, imo tunc recreato corde, & calor & ſpiritus cæteris membris uberius ſuppeditantur.

Finalis causa somni

Propter has cauſas finales proximas ordinatum eſſe ſomnum in natura, qualis nunc eſt, facile intelligi poteſt. Cur autem natura hominum talis ſit condita, ut fiat conſumptio, & ſit inſtauranda nutritione

tritione & quiete, non quæritur causa à philoso
phis. Sed consilij diuini causæ aliquæ cogitanda
sunt. Inenarrabili sapientia & bonitate Dei de-
cretum est, ut in hac natura corporali colligatur
æterna Ecclesia, Et hæc ita condita est, ut nutritio-
ne sustentaretur, & res in terra nascentes ei usui
essent. Et cum in natura fiant consumptio & nu-
tritio, quies ad hæc ordinata est. Postquam autem
natura hominum obnoxia est morti, & multo in-
firmior est quàm fuit, interualla quietis magis ne-
cessaria sunt. Deinde hæc ipsa quies imago est
mortis & resurrectionis, ut cogitemus & seruari
uitam, quanquam mortuis, sicut ex somno exusci-
tamur, quanquam ignari, quomodo id fiat. Imo ut
uires redierunt meliores, post somnum, ita homi-
num natura in his, in quibus est semen Dei, exusci-
tata, uires habet multo præstantiores. Sed has fi-
nales causas in illa æterna consuetudine Dei inte-
grè intelligemus. Nunc physicum est aspicere præ-
sentem naturam, & considerare in materia cau-
sas, quomodo fiant in ea usitatæ mutationes.

Materialis causa somni.

Est igitur causa materialis, uapor suauis, qui
cum liquescit, defluens obstruit meatus sensuum,
et spiritus impedit, ne in neruos delabantur, qua re
& motus localis sistitur. Non est enim uiscosus,
aut len-

aut lentus humor, qui lædit cerebrum, & efficit apoplexias, Sed ſuauis halitus eſt, qui poſtquam aſcendit, frigiditate cerebri denſatur, & defluit, rigans & humectans cerebrum. Ideoq; Ariſtoteles Euripo hunc uaporum motum confert, quòd aſcendentes refluant, & alij ſuccedant.

Formalis cauſa eſt, ipſa quies, hoc eſt, uacatio ſenſuum exteriorum & motus localis. Nam interiores ſenſus minus impediuntur. Formalis ſomni ca.

Cauſam efficientem hîc nominant eam, quæ coctionem cibi adiuuat, unde uapores exhalant. Sit igitur hæc cauſa, ipſe calor intro reuocatus uirtute cordis, qua in re conſilium & ordinem naturæ conſiderare ualde prodeſt. Efficiens ſomni ca.

Toties iam dictum eſt, cum naturam hominum Deus opifex talem condiderit, ut uelit eam nutritione ſeruari, multa inſtituit, quæ ad id opus conducunt. Sumpto alimento fieri in uentriculo & Epate coctionem neceſſe eſt. Eodem tempore ſimul cum nouo ſanguine cor rigatur & reficitur, plurimum ſpirituum gignitur. Vt igitur cor actioni propriæ, & uentriculi, & Epatis opem ferat, minus ſpargit calorem in externa membra.

Iam reuocato calore intro, cum cœpit fieri có-

ctio, ſimul exhalant uapores in cerebrum, & li
queſcentes obſtruunt meatus ſenſuum & impe
diunt ſpiritus, ne delabantur in Neruos, qua re ſi
ſtitur motus localis.

Ita tunc ſimul iuuantur quiete externa, uentri
culus, epar, cor, & cerebrum. Ac iuſtiſſimum
eſt, eſſe aliqua certa interualla, in quibus hæc præ
cipua membra hominis reficiantur. Nec aliam cau
ſam quæri opus eſt, cur intro calor reuocetur, niſi
quia neceſſe fuit hunc ordinem nutritioni ſeruire,
& in hoc ipſo interuallo cor & cerebrum refici.
Quare & intro calor reuocatur, & foris ociuma
eſt.

Adiuuat autem reuocationem caloris, & ipſe
defluxus uaporum liqueſcentium ex cerebro, qui
cum ambiunt calorem cordis, denſiorem efficiunt.
Ac reuocari calorem manifeſtum eſt, Nam in ſom
no corpora pluribus tegumentis indigent. Et Hip
pocrates inquit. Τὸ αἷμα γὰρ ὕπνῳ ἔσω μαλλον
φεύγει.

De cauſis finalibus non eſt obſcura doctrina.
Sentiunt etiam indocti manifeſta & ingentia be
neficia ſomni. Præcipuæ potentiæ humani corpo
ris, & earum organa ſomno iuuantur. Virtus nu
tritiua ſine auxilio ſomni coctionem non poteſt
perficere. Ac inſomniam tetra & exitioſa crudi
tas ſequitur. Deinde

Deinde cor fieri languidius necesse est, cum neq; rectè nutriatur, neq; gignere copiam spirituum conuenientem possit, dissipato calore.

Galenus.

Cerebrum cum animi functionibus, quæ sunt circa somnum, animalia in sui ipsius natura complectens.

Vigilias immoderatas spasmos & παραφροσύνην

Cerebri uerò & neruorum uirtus celeriter penitus extinguitur, nisi somno foueatur. Nam & nutrimento & rigatione, & quiete cerebrum indiget. Et languefacto cerebro, & deficientibus spiritibus, neruorum debilitatem sequi necesse est. Sicut Hippocrates inquit, uigilias immoderatas adferre spasmos & desipientiam. Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς καὶ παραφροσύνη.

Nec difficile est ijs, qui non prorsus ignari sunt physices, cernere causas, cur intempestiuas & immoderatas uigilias magni et sæui morbi sequantur. Quare unusquisq; se adsuefaciat, ut ordini naturæ obtemperet, amet tempestiuam quietem, & eam tueri studeat. Nam ad cætera mala hoc quoq; accedit propter immoderatas uigilias, ut paulatim somnus prorsus amittatur, debilitate uentriculi & cerebri. Sciamus igitur dulcissimos uersiculos, qui ex Menandro citantur, & causarum cogitatione, ut physicos decet, nos confirmemus, ut naturæ ordinem libenter tueamur.

ὕπνος σέφυκε σώματος σωτηρία.

Item:

ὕπνος ἐστὶ πάσης ὑγιείας βίος.

Dic Aristotelicam definitionem.

Somnus est quies principij sensuum, seu ut Aristoteles loquitur, πρώτου αἰσθητικοῦ. In hac definitione si cerebrum intelligeretur esse πρῶτον αἰσθητικόν, non dissideret autor à cœteris. Sed Aristoteles addit aliam enarrationem. Intelligit πρῶτον αἰσθητικόν, Cor esse. Non fit autem somnus propriè impedito corde, aut cessante. Constat enim, in somno motum cordis multo fortiorem esse, propter reuocati caloris copiam, quàm in uigilantibus. Non igitur impeditum est cor, nec cessat in somno natiua ipsius actio.

Causa autem erroris Aristoteli fuit, quia putauit, Cor esse immediatum principium motus & sensuum. Ideo cum in somno cessent motus localis, & sensus, adfingit cor impeditum esse, nec animaduertit repugnantiam. Cor enim non cessare spiratio fortior testatur.

Præterea nerui sunt propria instrumenta sensuum & motus localis. Neruos autem oriri à cerebro, testatur inspectio. Ideo cum cessant sensuum actiones,

actiones, quærenda est causa proxima in cerebro. Hinc adparet, cur ab Aristotele dissentiat Galenus. Nec de re manifesta prolixius disputabo, quanquam à nonnullis recentioribus quæsitæ sunt præstigiæ ad excusandum Aristotelem.

Illa quæstio addenda est, Quare cum motus localis cesset, moueantur tamen in somno musculi thoracis in spiratione? Quia etsi alibi musculi seruiunt uoluntarijs motibus, tamen musculi thoracis mouentur mixto motu. Partim enim cientur uoluntario motu, partim impelluntur à spiratione, sicut urinæ meatus aperiuntur non tantum uoluntario motu, sed etiam interdum in nolentibus cellunt erumpenti urinæ. In Apoplexia desinit spiratio, quia læso & corrupto principio neruorum, uidelicet cerebro, simul extinguitur uis neruorum, qui directi sunt in musculos thoracis. Prorsus igitur desinit motus. At in somno principium neruorum suauiter recreatur, quare cum nerui sint incolumes, possunt musculi cieri à spiratione.

De ordine cibi & somni, cognitis causis somni, facile est raciocinari, nec inanes suauiter dormire, nec immodico cibo oneratos. Sapiens antiquitas in omnibus rebus in tuendo ordine diligentior fuit.

Balneæ. Cibus. Somnus.

Extat igitur exemplum ordinis balnearum, cibi & somni apud Homerum in ultimo libro Odyssea.

Ἐπει λόσατο, φάγοι τε.
Ευδέμεναι μαλακῶς, ἥ γὰρ δίκη ὄζι γ
ρόντων.

Vt lauit sumpsitq; cibum, dat membra sopori
Mollibus in stratis, uacuus curaq; metuq;:
Corpora ceu prodest senio confecta foueri.

Ordo balneorum, cibi, & somni.

Balneæ antecedant cœnas. A cœna exiguum sit interuallum ad somnum. Molli ambulatione cibus ex orificio uentriculi descendit, & orificium claditur. Deinde quies gratissima est uentriculo, ac primum in dextro latere cubandum est, ne hiet os uentriculi. Fit igitur collecto calore in somno coctio, prohibetur cruditas, conseruatur calor naturalis, gignitur sanguis suauior, sequitur & uirium & coloris bonitas.

Ordo naturæ diligenter in mediis.

Moueat autem singulos consideratio harum causarum & effectuum, ut maiore cura ordinem diuinitus institutum in natura tueantur, & tribuant somno conuenientia tempora, nec extendant uigilias post cœnam in multam noctem, quæ ualde labefaciunt uires humani corporis. Sequitur enim cruditas, dissipatur calor naturalis, languescit uirtus uen-

tus uentriculi & Epatis, gignitur sanguis impurus, repletur corpus uiciosis humoribus, & fit κακοχυμία, turbantur spiritus, cerebrum ualde debilitatur adsiduitate motus, & ipso spirituum æstu, ac impedita suaui nutritione. Nec existimetur leue scelus esse, propria corpora petulanter necare, & corrumpere cor & cerebrum, quæ debent esse domicilia Dei, & actionum diuinarum organa.

De somnijs.

Addemus breuem admonitionem de somnijs, quæ quomodo fiant, longior disputatio est infra, ubi de sensibus interioribus dicitur.

Sunt autem alia physica, alia diuina, alia diabolica. Nunc de physicis dicam, quorum alia sunt uulgaria & communißima omnibus, nihil significantia. Ac rariora sunt utcunq; μαντικὰ seu præsagientia. Vtraq; autem sic fiunt.

Cogitatio interior fit, cum cerebrum feritur spiritibus, & cerebrum, quod adsiduè mouetur, suo quodam motu facit spirituum commixtiones, & compositione spirituum format imagines. Vt enim Lingua sonos ex Trachea acceptos format, & in eis facit articulatam uocem, ita cerebrum

admirabili natura ſua, format in ſpirituum compoſitione imagines.

Fiunt igitur & in ſomno concurſu ſpirituum imagines, quarum multæ ſunt ſimiles earum imaginum, quas uigilando formamus, quia ex memoria illi ſpiritus, quibus imagines priores impreſſimus, recurrunt. Inde hoc dictum eſt Claudiani:

Cauſidicis lites, aurigæ ſomnia currus.

Multæ imagines imitantur humores, quia ſpiritus accipiunt temperamenta ab humoribus. Vt, qui abundant uitioſo phlegmate, ſomniant ſe natare. Ita Ephialtæ fiunt in ſomno, cum craſſus humor, ſeu in cerebro, ſeu in thorace, impedit motum thoracis, eaq; compreſſio mouet imaginationem, ut cogitet ab aliquo alio premi thoracem.

Alia rariora ſunt μαντικὰ, quæ tamen non ſunt diuina, ſed ſunt familiaria certis temperamentis, ſicut alius ſuo temperamento magis muſicus eſt, quàm alius, aut agilior ad ſcandendum. Tales naturas nominat Ariſtoteles εὐθυονείρους καὶ εὐσόφρους, quæ ſæpius habent ſomnia ſignificantia, quàm aliæ. Exiſtimo autem rectè dici cauſam eſſe temperamenti proprietatem, ſicut & Aſtrologi exiſtimant. Sed inepti ſunt, qui præcepta de interpretatio-

pretationibus tradunt, cum alij alias habeant imagines.

Exempla uerò in historijs multa leguntur magnorum Ducum, ut Syllæ, Luculli, & aliorum, qui in somnijs multos euentus præuiderunt. Et Agusti Medicus somniauerat in castris, diripi tabernaculum Augusti. Admonitus igitur Augustus aliò secessit. Nec fefellit euentus. Nam post pugnam fugato illo cornu, direptum est tabernaculum.

Cicero multa recitat, & ipse somniauit, Octauium principem reipublicæ fore, priusquam puerum nosset.

Nec desunt usquam exempla talium somniorum. Ac multa recitare ex proximo bello possem.

Quanquum autem sæpè talibus somnijs respondent euentus, tamen multa etiam in hoc genere sunt aut ambigua & fallacia, aut prorsus inania, ut sæpè experientia ostendit. Ac de his quoq; rectè dicitur à Tibullo:

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Non igitur tribuenda est fides his somnijs, sed præcepto Dei obtemperandum est, quod prohibet adseuerationes ex somnijs, ijs uidelicet, quæ non

sunt diuina, ut textus inquit in cap. 18. Deutero-
nomij. Et sæpè ambiguitas decepit interpretes.
Vt Darius somniauerat, se uidere Macedoni-
cum exercitum incedere ardentem per Asiam,
ac uenire Babylonem, ibiq; Alexandrum indu-
tum ueste Persica ire in templum, ac ibi statim
euanescere. Arbitrabatur ergo Darius, Mace-
donico exercitui significari exitium per flammas,
& Alexandrum indutum ueste Persica uenturum
in seruitutem. Sed flammæ significabant celerita-
tem & uictorias. Vestis significabat, Alexandrum
potiturum regno Persico. Sunt igitur fallaces con-
iecturæ, ut aliæ multæ sunt ex signis.

Somnium Darij regis Persarum.

Tertium genus diuinum est, quod Deus men-
tibus inserit per sese. Talia sunt uaticinia Iacob,
Ioseph, Danielis & similium, quæ Deus de magnis
rebus, de gubernatione Ecclesiæ, & de imperijs
monstrauit. His somnijs adduntur testimonia di-
uinitus, ut mentes sciant, ea diuinitus offerri. Sicut
& somnio Nabugdonosor additum est illustre te-
stimonium, quia cum rex imaginem ostensam obli-
tus esset, Danieli eam Deus rursus ostendit, ut se
autorem esse testaretur. Hæc diuina somnia sunt
uaticinia probata, de quibus sæpè in sacris histo-
rijs dicitur, nec pertinent ad communem re-
gulam.

Diuina somnia.

gulam, quæ diuinationes ex alijs somnijs prohibet.

Quartum genus est diabolicum, ut cum diaboli offerunt imagines conuiuiorum & ludorum ueneficis mulieribus, quas tamen compertum est, nusquam abijsse, sed dormientes gestu & clamore somnia saltationum significasse. Et huius generis fanatica exempla Ethnicorum, Manichæorum, & Anabaptistarum recitari multa possent. Hîc insidiæ diaboli prudenter cauendæ sunt. Et constanter repellendæ sunt hæ præstigiæ. Sed nolo huic commemorationi diutius immorari.

Somnia Diabolica.

De Auctrice potentia.

Vt de Nutritiua quæsiuimus, quæ sit ea potentia, quæ habeat organa, quomodo fiat Nutritio, ita deinceps de cæteris hunc ordinem sequemur.

Quid est Augmentatiua potentia?

Non differt hæc reipsa à Nutritiua, sed tempore & quantitate. Nam nutritiua in adolescentia, donec calor natiuus fortis est, plus nutrimenti conuertit in substantiam, quàm amissum est. Ita crescunt omnia membra, fiuntq; simul Nutritio & Augmentatio. Sunt igitur causæ eædem, & eadem organa.

Quid

Quid est Augmentatio?

Est tatis nutritio, qua non solum idem corporis modus alitur, sed etiam accedit magnitudo certo tempore secundum omnes dimensiones, longitudinem, latitudinem, & spissitudinem, ac pro proportione omnia membra augentur, quod fit usq; ad iuuentutis initium, uidelicet usq; ad annum Quintum & uicesimum, aut circiter. Ac plurimum differt Pinguefactio ab Augmentatione. Nam pinguefactione non crescunt omnia membra, sed additur carni quædam humiditas superflua, ex bono sanguine redundans. Non enim loquor de κακοχυμία, quæ est humorum prauitas in toto corpore.

Dixi autem certi temporis augmentationem esse, quia natura omnibus animantibus constitutæ sunt metæ incrementi & decrementi. Cum igitur ordine naturæ uentum est ad ἀκμήν, Nutritiua non plus nutrimenti conuertit, quàm amissum est, et paulatim post ἀκμὴν fit actio languidior, quod ut aliquo modo intelligi possit, uitæ & caloris fontem, ut ita dicam, consideremus.

Quare post ἀκμὴν paulatim deficit natura animantium?

Vt in flamma Lychni necesse est quandam humiditatem

miditatem esse glutinantem flammæ partes, sic in corpore animantis, est quoddam aëreum humidum, optimum, quod nominatur Radicale, fusum per totum corpus propagatum à semine, glutinans omnes partes, in quo radicali humido immediatè uehitur calor cœlestis & uiuificus. Hoc humido extincto, calor etiam euanescit.

Depascitur autem humidum à colore, & uicissim natiuus calor deficiente pabulo fit languidior, ut flamma attenuatur deficiente cera.

Quanquam autem alitur humidum radicale quotidiano nutrimento, tamen hoc quod in omnibus membris acquiritur in nutritione, est impurius. Vt in uino, dum uis est integra, facile in naturam conuertit pauxillum aquæ. Sed si paulatim plus aquæ infundatur, fit uinum impurius.

Sic igitur & uita deficit, quia nec caloris uigor manet, nec pabuli puritas. Mutua igitur labefactatione utrunq; extinguitur. Acquisitum humidum non est æquale radicali. Fit ergo & calor imbecillior deteriore pabulo. Et rursus calor languidus minus fœliciter conuertit nutrimentum. Simul ergo labuntur, & humidum radicale, & natiuus

natiuus calor. Hinc intelligi potest, quare ἀκμὴ non sit perpetua, & cito accedat senectus.

Ideo Aristoteles definiuit mortem esse extinctionem innati caloris, uidelicet absumpto Radicali humido. Extinguitur autem humidum radicale paulatim illa ipsa acquisiti nutrimenti impuritate. Et accelerant extinctionem causæ externæ & uiolentæ multæ, intemperantia, inedia, prauitas cibi & potus, defatigationes omnis generis. Hæ causæ eò considerandæ sunt, ut in tuendis naturæ nostræ uiribus simus diligentiores, quod & Deus præcipit.

Quid est Generatiua potentia?

Est potentia in Animantibus generans simile, ordinata ad speciei conseruationem. Estq; hic ordo considerandus. Nutritiua conseruat Individuum. Augmentatiua prouehit ad iustam magnitudinem. Generatiua conseruat speciem.

Etsi autem in tota natura ordo testimonium est, non extitisse mundum casu, tamen hoc indicium illustre est, quòd perpetuo manent eædem species, & quòd in qualibet specie propagantur similia, nec fit specierum confusio, quod fieret, si casu & temerè, sine opificis consilio omnia orirentur.

Cum

Cumq; hic ordo in natura institutus sit, ut species hoc modo conseruentur propagatione similium, dictum est ab Aristotele: Naturalissimum opus est in uiuentibus, generare simile.

De organis generationis supra in Anatomicis descriptionibus dictum est. Pauca autem hîc de Semine & formatione fœtus addemus.

Semen animalis est utilis superfluitas ultimi alimenti sanguinei per totum corpus dispersi, post quartam digestionem decisa, quæ attrahitur à uasis seminarijs, & perficitur ac conseruatur in testibus ad generationem. Sunt autem uasa seminaria certæ uenæ, quarum picturæ, ut ita dicam, supra in descriptione Anatomica considerentur.

Quidam semen oriri tantum à cerebro putarunt, sed constat plurimum quidem à cerebro, sed totum ab omnibus membris deriuari. Cum enim ex eo omnia membra formentur, consentaneum est, ipsum ab omnibus membris oriri. Nam similia similibus procreantur. Itaq; Hippocrates inquit. Ἔρχεται γόνος ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος, καὶ ἀπὸ μὲν τῶν ὑγιαινόντων ὑγιαινός, ἀπὸ δὲ τῶν νοσερῶν νοσερός. Vt igitur similitudo, ita imbecillitas certorum membrorum in parentibus propagatur in prolem, ut cerebri, epatis, ventriculi, renum.

Quia

Quid autem ſemen utile alimentum eſt, & pl
num copioſo uitali ſpiritu, corpora ualde debil
tantur nimia profuſione ſeminis. Nam & corpo
alimentum detrahitur, & plurimum eijcitur ſpir
tus.

Nimia profuſio ſeminis ptimis ſpiritus corpora debilitat.

Nunc breuiter de formatione fœtus dicam
Cum matrix excepit ſemen uiri, iungitur uiri
ſemini muliebre ſemen. Hîc magna controuerſi
eſt, An mulier concurrat actiuè ad procreatio
nem fœtus? Ariſtoteles non tribuit ſemen mulie
ri, ſed dixit materiam fœtus eſſe ſanguinem men
ſtruum, & uiri ſemen habere ſe actiuè, ac uerti in
ſpiritum, & ſua ui tanquam fabrum, materiam
illam diſponere, ut inde fœtus procreetur. Hæc eſt
ſumma ſententiæ Ariſtotelis.

De formatione fœtus in utero mulieris.

Sed Galenum ſequamur, qui adfirmat, iuncta
ſemina uiri & mulieris eſſe materiam fœtus, etſi
in his uiri ſemen calidius & craſſius eſt, Mulieris
uerò ſemen humidius ac frigidius, & ob hanc cau
ſam uelut nutrimentum eſſe uirili ſemini, inquit.

Semina uiri & mulieris iuncta ſunt materia fœtus.

Cum igitur Matrix accepit iuncta ſemina, prin
cipio calor matricis, uelut furni, leuiter aſſando
efficit panniculum, tanquam cruſtam circa ſemen,
eſtq; hæc initio uelut oui ſpecies, quia membrana
circunda-

eireundat ſemen intus bulliens, cum ſit ualde ſpiri-
tuoſum. Ac fit panniculus ex exteriore ſeminum
parte, ac præcipuè ex muliebri, quod eſt humidius
& magis extendi poteſt. Is panniculus græcè no-
minatur χόριον, Latinis ſecundæ, uulgo ſecundi-
na. Et non ſolum locus eſt reliquo ſemini, ſed eti-
am habet alios uſus. Deſinunt enim in matricem
innumera orificia uenarum & arteriarum, & ut
per ea ſanguis menſtruus influat, & ut fœtui
tranſmittatur nutrimentum.

Hæc orificia ſimilia ſunt acetabulis polypi,
eamq; ob cauſam nominantur κοτυληδόνες,
quæcum cum ſit apta figura ad amplectendum
χόριον adglutinatur undiq; panniculus ille ma-
tri. Nam & tota matrix appetit ſemen, idq; ſe-
uere à tota matrice oportet.

Sunt autem in toto chorio fibræ multæ, quæ
uariè inter ſe contextæ coëunt, & conſtituunt
duas uenas & duas Arterias, & in medio meatum,
qui nominatur ὀυραγός. Hæ uenæ & Arteriæ
ſunt uelut radices fœtus, inſertæ enim reliquo ſe-
mini, conſtituunt umbilicum. Primis igitur ſex
diebus adornantur fibræ illæ, & ſemen natus fer-
uet.

Deinde cum ſexto aut ſeptimo die umbilicus

Stylus umbilici, primordia post conceptionem formantis umbilicum.

fabricatus est, ut dixi, iunctis illis uenis & arteriis, hîc primum attrahitur sanguis & spiritus, per uenas & arterias illas, qui transmittatur ad semen, & misceatur semini, ut formentur principalia membra. Nam & in chorio fiunt foramina similia cotylidonibus, quibus agglutinatum est, per quæ radiculæ illæ attrahunt sanguinem & spiritum.

Interea semen æstuans, tres ampullas quasi exiguas uesiculas facit, quæ sunt loca Epatis, Cordis & cerebri. Trahit igitur uena ex umbilico porrecta, sanguinem crassiorem seu nutrimentalem, qui facile in semine coagulatur. Simul autem fit bifida uena, ac ramo alteri coagulum illius agnascitur. Hæc est Epatis formatio. Est enim Epar simile coagulato sanguini.

Formatio Epatis.

Alteri autem ramo bifidæ illius uenæ agnascuntur μεσεντέριον, *uentriculus, splen, Intestina.*

Natis iam uenarum radicibus in Epate, colligitur uelut truncus uenarum in gibba parte Epatis. & fit maxima uenarum, cui nomen est uena cava, quæ alios ramos sursum porrigit, ex quibus fiunt διάφραγμα, *& pars spinæ dorsi supra diaphragma. Inferiores rami procreant reliquam partem spinæ circa lumbos.*

Vena Cava.

Arteriæ

Arteriæ uerò ab umbilico in ſemen ſparſæ tendunt ad ſpinam dorſi, & paulatim ad locum cordis propagantur. Hæ arteriæ attrahunt calidiſſimum & ſubtiliſſimum ſanguinem, ex quo in ueſicula illa cordi deſtinata cor gignitur, quod eſt natura carnea, ſolida & ſpiſſa, quemadmodum conuenit membro calidiſſimo.

Simul autem cordi uena caua ſanguinem nutrientem aduehit. Iamq; Aorta naſcens ſpiritum ſuehit in uniuerſum ædificium, ut ſpiritu & uiuifico calore formatio perficiatur.

Cum autem Epar, & cor & cætera membra formentur ex ſanguine, uenæ, Arteriæ, chartilagines, oſſa, panniculi, πλευρά, ligamenta, ex craſſiore ſeminis parte, ſimul pars ſubtiliſſima ſeminis, & plena optimi ſpiritus, quaſi colata & expreſſa ex craſſiore maſſa, ſurſum pellitur in ampullam tertiam, ut inde cerebrum formetur, & ex cerebro nerui. Quanquam autem huius mirandæ ædificationis ratio non poteſt reddi, tamen ipſa machina humani corporis diligentiſſimè aſpicienda eſt, & conſiderandum, quæ pars ex qua materia, & ad quos uſus condita ſit, Quid mirabilius eſt quàm cerebrum & neruos, motus ac ſenſuum inſtrumenta,

ſtrumenta, totumq; illud domicilium eognitio
& ſapientiæ, maximè cognatum eſſe ſemmi, &
ea materia proximè oriri? Vt igitur cerebrum
mile eſt cœleſti naturæ, quia lucis capax eſt,
ſemen eſt quiddam cognatum cœleſti naturæ, q
ut homines ſingulari reuerentia uterentur, De
metas nobis circundedit, ne temerè effundatur,
ut certò ſciamus, ordinem in ea re ab ipſo ſan
citum eſſe, horribilibus pœnis iudicium & ira
ſuam declarat.

Tempora fœtus uariè diſcernuntur, & maſcu
li quidem citius abſoluuntur quàm fœmellæ, qu
in maſculis calor uehementior eſt, & in eodem g
nere alij citius, alij tardius matureſcunt.

Primis ſex diebus bulliente ſemine, fiunt am
pullæ, & uelut quædam oui ſpecies exiſtit. Hæ
nondum adpellatur fœtus, ſed γονὴ, id eſt, ſe
men.

Deinde nouem diebus attrahitur ſanguis, e
quo paulatim Epar & cor fiunt, ita ut poſt duo
decim dies iam diſcerni poſſit delineatio Epatis
cordis, & cerebri. Iam igitur fœtus nominatur
Et græca adpellatione ἔμβρυον, id eſt, pullulan
ſeu germinans, ἔμβρυον, quaſi ἔσω βρυον, id
eſt, intus in utero germinans, à βρύω, quod eſt
pullulo.

pullulo, germino, ſcaturio, πηγάζω, ἀναβλύζω.

Poſtea octodecim diebus membra cætera formantur & diſtinguuntur, ſeu ut uenuſtiſſimè inquit Hippocrates, ramos exerit fœtus.

Hos dies ſi collegeris, inuenies dies 45. Tunc enim formatis & diſtinctis membris, uiuere iam fœtus incipit, quia ſentit. Ideoq; aiunt, Animas inſeri pueris circiter 45. diem, & tunc non ſolum ἔμβρυον, ſed etiam infantem nominant. Nondum tamen propter imbecillitatem mouetur. Sed Hippocrates regulam hanc tradit. Dies à conceptione ad formationem duplicati, indicant diem motus. Poſtea triplicati dies motus, indicant diem edendi partus. Vt ſi fœtus formatus eſt 45. die, mouetur nonageſimo, & editur Nono menſe. Eſtq; hoc tempus uſitatiſſimum, præſertim in maribus, fœmellæ uerò decimo menſe eduntur. Et de ſero partu inquit Hippocrates. Ες ἱσ'έκμ ἡέλιοι μ. ἐς ϖϱῶτομ ἅλμα ϱ. ἐς πλειότητα τ.

Sic autem editur infans, cum iam creuit, & ampliore nutrimento indiget, quàm quantum ex cotylidonibus per umbilicum attrahit, mouetur maiore impetu, adeo ut rumpat panniculos, & quaſdam chorij uenas. Quare matrix retinere

fœtum diutius non potest. Cumq; iam aperitur matrix, sentit infans aërem ingredientem, quem captans mouetur uersus os matricis. Hoc modo ritu partus editur, capite primum exeunte. Et plorat uenit in hanc lucem, uelut præsagiens calamitatem huius uitæ, in quam ingreditur. Plorat autem ideo quia motus ille ac tractatio, non fit sine dolore, & offensione teneri corpusculi.

Editi sexto mense aut citius non uiuunt. Nondum enim plane perfectus est fœtus. Septimo mense editi uiuere possunt. Tunc enim absolutus est fœtus. Exempla Plinius recitat, & Homerus scribit Eurystheum, qui latè regnauit in Græcia, & Herculi labores iniunxit, editum esse septimo mense. Sic enim inquit Homerus lib. τ. ἡδ' ἐκύη φίλον υἱόν, ὃ δ' ἑβδομάτῳ εἰσήκε μείς. Et tamen quod mireris, octauo mense editi non solent uiuere. Nam septimo mense, qui criticus est, fœtus mouetur ad exitum, cum natura eius ualida est. Cum autem natura fœtus imbecilla est, non potest edi, sed transfertur in aliam alui partem: Tunc uerò si octauo mense edatur, nec post criticum tempus prodest moueri materiam, & gemina migratio magis adfligit infantem, cum & septimo mense in aliam alui partem translatus est, & non multo post octauo mense editus.

Quòd

Quòd autem ſeptimus menſis ſit criticus, cauſa ad aſtra refertur, quia tunc Sol ſit in ſigno, quod oppoſitum eſt ſigno conceptus.

Calor maior ſeminis, dicitur eſſe cauſa, cur maſculi naſcantur. Similitudinis cauſa, ut Galenus exiſtimat, uis eſt maior paterni aut materni ſeminis. Sed in tanta uarietate, & aſtrorum ſua eſt uis. Nam boni poſitus ſiderum in formis uenuſtatem, hilaritatem, & quaſi Lumen efficiunt. Infauſti poſitus ſiderum inſigniter deformant corpora.

De gemellis conſentaneum eſt, etſi non ſunt cellæ in matrice humana, ut in belluinis, tamen cum diſcrimen ſit inter latera, dextrum & ſiniſtrum, ſemina diſtincta non continua, labi in diuerſa latera, uel uno conceptu, uel diuerſis, ut ferunt natos eſſe gemellos Iphiclum & Herculem. Cum enim Iphiclum concepiſſet Alcmena ex marito, poſtea dicitur Herculem ex Ioue concepiſſe. Id nominant ἐπικύησιμ, uulgo ſuperfœtationem. Ariſtoteles multa recenſet exempla in 7. de natura Animalium. Ait adulteram quandam gemellos peperiſſe, quorum alter ſimilis marito fuerit, alter mœcho. Sed ut hoc modo Gemelli concipi aut abſolui poſſint, non ſit longum interual-

lum inter duos conceptus. Nam matrix occupata altero fœtu, cum iam formari & crescere incipit, non concedit locum alteri. Sed hæc omitto. Nam & Aristoteles inquit, superfœtationem hominum raram esse. Sæpius uno conceptu gemelli nascuntur. De laterum uerò discrimine uerba sunt hæc in Quinto libro Aphorismorum. ἔμβρυα τὰ μὲν ἄρρενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

DE POTENTIA SENTIENTE.

Quid est potentia sentiens?

Est quæ ad cognitionem singularium in corporibus animantium condita est. Etsi autem postea, cum de iudicio & raciocinatione in mente dicetur, admonendi sunt iuniores, ut apud sese cogitent, quantum bonum sit cognitio, & ad quos usus homini attributa sit, tamen hîc quoq; de sensibus considerent, dignitatem eorum in homine eò maiorem esse, quia nuncij sunt mentis, sicut dicitur, A sensu oriri sequentes in mente actiones. Item, nihil esse in Intellectu, quod non prius fuerit in sensu, quod etsi non congruit ad omnes noticias, tamen de plurimis uerè dictum est.

Sunt

Sunt autem sensuum ordines duo. Exterior, & Interior.

Sensus exteriores sunt quinq;. Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, Tactus.

Quid est sensus Visus?

Est sensus percipiens oculis lucem & colorem, tanquam propria obiecta, & magnitudines, figuras, numerum, motum & situm corporum, tanquam communia obiecta.

Vtilitatis magnitudo non potest satis declarari. Sed monendi sunt iuniores, ut horum mirabilium operum diuinorum artem, bonitatem & usus aliquo modo considerent. Qualis esset uita, si perpetuæ tenebræ essent, aut si lux non posset adprehendi? Condidit Deus lucem, & uult notam esse, & distinxit eam à tenebris. Ac naturam hominis talem condidit, ut apprehendere lucem, & discernere eam oculis possit. Nec quid sit hæc pulcherrima res, Lux uidelicet, quæ ostendit res cæteras, uerbis exponi potest. Sed oculi eam agnoscunt, & à tenebris discernunt. Vult autem Deus hac corporali luce considerata, intelligi, & sese esse lucem quandam admirandam, ut homines sancti aliquando experiuntur.

Quod eſt organum?

Organum

Oculus & in oculo cryſtallinus humor, qui e
ſua natura lucet, & adferunt ei ſpiritum neru
optici. Hic ſpiritus uitam impertit oculis, Eſtq
uelut flammula, naturam referens lucis cœleſtis,
tribuens uim uidendi. Hac flamma tanquam uita,
in humorem cryſtallinum ſparſa, fit hoc modo
uiſio, quia cryſtallinus humor recipit illatas ab
obiecto ſpecies, quæ ibi imaginem efficiunt, ut il-
lapſæ in ſpeculum, ſeu ut fit in ſigilli impreßione.

Quod eſt obiectum?

Color quid ſit

Propria obiecta ſunt: Lux & Color. Nec du-
bium eſt, colorem eſſe qualitatem mixti corporis,
ortam à commixtione lucidorum corporum cum
obſcuris. Hæc deſcriptio utcunq; intelligi poteſt,
agnita lucis natura, quam oculis cernimus. Sed
conſtituere lucis definitionem difficile eſt. Nos di-
cimus, qualitatem eſſe in corporibus cœleſtibus, &
in igni, aëre, & aqua oſtendentem & ſeſe & alia
corpora.

Lux quid ſit

Narratio autem Prophetica magis perſpicua
eſt, quæ lucem nominat, ipſa corpora cœleſtia, quæ
ſunt fons luminis corporum. Cum enim dicitur:
Fiat lux, haud dubiè ſignificantur corpora cœle-
ſtia,

ſtia, in quibus ſingulari conſilio Deus hoc bonum ſparſit, quod Lucem nominamus. Cum igitur de luce quærimus, oculi cœlum intueantur, nec quærant alias definitiones.

De modo uiſionis.

Toties iam dicimus, non penitus perſpici rerum naturam, ſed utcunq; foris aſpici. Conſideremus igitur eam quantum conceditur, & agnoſcamus Deum opificem, qui hæc miranda opera uoluit eſſe teſtimonia de ſua ſapientia & potentia, uoluit etiam eſſe commonefactiones de alijs arcanis actionibus. Vt in oculo fiunt imagines, uelut in ſpeculo, ſic ipſe noſtris mentibus imprimit imagines de ſeſe, uelut ſpeculo.

Etſi autem de modo uiſionis multæ quæſtiones agitantur, tamen nos, ut in re non perueſtigabili, recitabimus ſine longa diſputatione opiniones non monſtroſas, quas receperunt eruditi, qui hæc diligentius conſiderauerunt.

Nonnulli exiſtimarunt uiſionem fieri radijs ex oculo emiſſis, & ferientibus ſeu comprehendentibus obiecta. Sed Ariſtoteles ſapienter refragatur, quia in oculo, non extra oculum fieri uiſionem oportet. Iam ſi radij procurrentes non redirent, fieret uiſio extra oculum.

Deinde

Visio fit in lucido corpore.

Deinde radij non ſunt tam longi, ut Lunam aut Solem attingant, Quare & Ariſtoteles & Optici dicunt, in medio perſpicuo ad oculum, qui & ipſe lucidus eſt, ferri colorum ſpecies, quas ut aër ita oculus lucidus recipit. Hac receptione fieri uiſionem dicunt.

Iam altera quæſtio eſt, An à corporibus aliquod lumen ſpargatur, quod nominant, ſpeciem uiſibilem, ut cum in ſpeculis redduntur imagines, exiſtimamus ab obiectis lumen tranſmiſſum eſſe quod cum reflectitur et coit, integram efficit imaginem.

Occam negat aliquid eſſe has ſpecies, & exiſtimat, corpora adparere in lucida ſuperficie, quia ſic condita ſit natura, ut in lucidis res cerni poſſint. Quod uerò Optici nominant ſpeciem, arbitratur eos loqui de Lineis Mathematicis, quibus obiecta occurrunt oculis, non quòd reipſa colores gignat lumen ſeu radios.

Sed alia communis eſt ſententia, ſpargi à luce & à calore lumen, ut à ſole ſpargi radios manifeſtum eſt. Cum enim radij ſolis in obſcuris locis per foramen inſerti, ab altero pariete reflectuntur, coit lumen, quod ita condenſatum conſpicitur. Cernimus & refractos radios, qui ſic uocantur,

cum

eum in medio denſiore, ut in aqua, aut in uitro, lumen coit. Eſſe igitur aliquam à luce propagatam & effuſam qualitatem in aëre, conſentaneum eſt.

Accedunt huc & hæ coniecturæ, quòd manifeſtum eſt, in uiſione oculos adfici, & regula eſt: Excellens ſenſibile lædit ſenſum, ut experimur conſpectu ſolis aut fulguris lædi oculos. Quomodo autem læderentur, niſi res aliqua attingeret ac feriret oculos?

Deinde, cur caua ſpecula inuerſas imagines reddunt, ut ſtare in capite uideantur, niſi quia ſpecies aliter reflectuntur ex cauis, quàm ex planis aut conuexis? Etſi autem fatemur, totam uiſionis rationem, ut alia multa, imperueſtigabilem eſſe, tamen hac communi opinione contenti ſimus, quæ eò etiam nobis minus diſplicet, quia uidetur ideo ſic condita eſſe natura lucida, ut radios ſpargat, ut aliquo modo ſignificatio ſeu commonefactio oſtendatur de æterno Patre & Filio, qui eſt ἀπάυγασμα æterni patris.

Ad uiſionem autem neceſſarium eſt medium perſpicuum, quod nominant διαφανές, inter obiectum & oculum. Nam obiectum ſine medio perſpicuo oculis admotum, non conſpicitur. Sit igitur interual-

interuallum, quo à coloribus lumen ſpargi poſsit, & ſit hoc interuallum perſpicuum, uidelicet aër aut aqua, quia ſine luce externa, colorum lumen adeo debile eſt, ut neq; conſpici, neq; diſcerni poſſit. Vſitatum eſt, cum de uiſione dicitur, Medium nominare cauſam ſine qua non. Seu ut Græci loquuntur, ὧν ὐκ ἄνευ. Tales cauſæ cur ita nominentur, in Phyſicis recitatum eſt.

Situs etiam in uiſione conſiderandus eſt. Quidquid uidetur, ſecundum rectam lineam uidetur. Ac pyramidis figura lineæ in oculum incurrunt, cuius baſis eſt in obiecto, conus uerò in oculo, fitq; pyramis paulatim minor, quò longius ab obiecto recedit, ſpecies etiam paulatim attenuantur. Ex his mitijs, de ſitu, quando & qua uarietate lineæ perueniant ad oculum, doctrina Optica extruitur.

Quanquam autem oculi Duo ſunt, tamen unum obiectum non uidetur geminum, quia ſpecies ab utroq; oculo coëunt in neruos Opticos, qui iuncti ſunt, ut concurrant ibi receptæ ſpecies. Quare una res non uidetur gemina, niſi cum ſpecies non iunguntur. Tunc enim una res adparet gemina, cum oculi diſtorti non ſimiliter idem contuentur. Hæc ratio extat in Problematis Ariſtotelis.

Quid eſt ſenſus Auditus?

Eſt

Est sensus in Auribus, percipiens sonos per aërem uel aquam.

Quod est obiectum?

Obiectum auditus.

Sonus. *Est autem sonus qualitas orta ex aëris fractione, quæ fit collisis duobus duris corporibus, latitudinem aliquam habentibus.* Hæc fractio perinde in aëre spargitur, ut lapillo in aquam conecto uidemus gyros ea agitatione proferri. Vt autem in angustis fontibus circuli illi cum cito in parietes impingunt, repulsi, geminant circulos, ita reddita fractio in locis tectis, cauernosis, aut laqueatis, aut densioribus siluis, geminat sonos, quæ geminatio nominatur Echo.

Echo.

Quod est organum?

In foramine ossis Petrosi sunt duo panniculi subtiles & solidi, orti à neruis Auditiuis. Alter panniculus continet & alligat Ossiculum simile incudi. Supra uerò hanc incudem aliud ossiculum est, simile malleo, quod ab altero panniculo sustinetur, sicut corda tympano intenditur. Cum hic malleus à sonis impulsus ferit incudem, excitantur ea percussione spiritus in neruis, & fit auditio, id est, perceptio soni pulsata incude, ut si chordæ pulsatæ sonos redderent.

Illa igitur machina incudis, mallei, cum pannículis, neruis & ſpiritibus, ſunt organa immediata auditus. Cœteræ partes aurium adiuuant præparationem. Anfractus colligunt & continent ſonos, ne ſubito irruentes in organum auditus, aut confundantur, aut lædant organum.

Quod eſt Medium?

Medium eſt aër, qui eſt duplex. Exterior, in quo gyri perferuntur ad aures. Interior et cognatus, qui eſt in ipſo foramine oſſis Petroſi, qui eſt mixtus ſpiritu auditiuo, ut gyrationes illas accipiat, & feriat panniculos & malleolos. Ac inde aurium tinnitus oritur, cum intus uapores aërem illum ſpiritu mixtum turbant.

Nec uerò tantum in aëre fit auditio, ſed etiam in Aquis, ut conſtat piſces audire. Sed id medium obſcurius eſt, & ad homines nihil admodum pertinet.

Quid eſt ſenſus Olfactus?

Eſt ſenſus in prioribus uentriculis cerebri, percipiens odores.

Quod eſt obiectum?

Odor, qui eſt qualitas in halitu exeunte ex mixtis,

mixtis, in quibus aërea humiditas seu plus, seu minus terreæ naturæ exuberanti, & cœlesti aut igneo calore ustæ, ac uelut torrefactæ permixta est, ut sentimus olere fumantia ligna, quæ aloqui sunt sine odore.

Ideo sic Aristoteles confert inter se odores & sapores, ut dicat in odore dominari siccitatem, Humiditatem uerò in saporibus. Et in Problematum libro inquit. Τὰ σφοδρύμλυα πῶς τὴν ὑγρότητα ἐχόντων ὀλίγην, εὐώδη γίνεται. Vsta quæ modicam habent humiditatem, fiunt fragrantia. Sed tamen prorsus arida, quæ sunt, ut Aristoteles nominat, ἄχυμα, non sunt odora, ut Lapides, tametsi in his & frigiditas & ariditas causæ sunt, ne insint odores. Non enim gigni odor potest, nisi calor substantiam defecatam terreæ & aëreæ naturæ, resoluat & expellat. Itaq; fragrantia omnia, etiamsi sunt natura frigida, ut Rosæ ac uiolæ, tamen odore ipso leuiter calefaciunt.

Hinc raciocinari possumus, quare in Orientes nascantur odoratiores, quia ea loca calidiora sunt.

Hinc & ratio sumenda est, quare dulcia minus sint odorata, quia sunt humidiora. Contrà uerò magis fragrantia sunt, in quibus aliquid inest

Rosmarinus.

ἐυῶδες Bonus odor.

δυσῶδες malus odor sic.

fœtor.

cerimoniæ. Sunt enim ſicciora, &, ut ita dicam, uſta ſeu torrefacta, ut Libanotis, cui nomen eſt uulgare, Ros marinus, cuius odor cum ſit gratiſſimus, lingua teſtatur ſaporem amarũ eſſe. Vtrunq; indicio eſt, libanotida calidam eſſe, ſicut & Nicander inquit: ἢ σύγε καγχρυόεσσαν ἐλώμ πόρριθαλπέα ῥίζαν.

Aut tu radicem calidæ libanotidos ure
Fœcunda in tereti quæ gignit canchrye ſemen.

Vt igitur magna temperamentorum uarietas eſt in herbis, floribus, radicibus, ita magna odorum uarietas efficitur, & conſideratio digna eſt ſtudioſis.

Species autem duæ præcipuæ conſtituuntur. Bonus odor, qui, ut in ſaporibus dulcedo, plus refert aëreæ naturæ, & cum ex partibus ſuauibus & rectè temperatis & magis calore cœleſti coctis oriatur, cerebro gratus eſt.

Contrarius odor bono, nominatur fœtor, qui ut ſtercus humanum ex partibus uicioſis & malè torrefactis exhalat, & ſua natura uenenum eſt cerebro. Hæ duæ ſpecies facilè agnoſci & diſcerni poſſunt. Altera nominatur ἐυῶδες, altera δυσῶδες.

Adijciuntur & duæ differentiæ, ſumptæ à ſaporibus

poribus, ut Acris odor, qualis est citrimi, Allij, cepæ. Et Acidus, qualis est Accti.

Areis. Aridus.

Extant apud Plinium & aliæ adpellationes, quas enarrare difficile est, ut Acuti odoris & ignaui. Interdum graueolens est idem quod fœtidum, δυσῶδες. Vt fœtorem sub humeris nominat Plinius Graueolentiam alarum. Et Virgilium inquit, Aut ubi odor cœni grauis.

Apud Græcos aliud est δυσῶδες, aliud βαρύοδμον. Nam multa sunt βαρύοδμα, quæ non sunt fœtida, ut Aloë, Folia sambuci. Lilium, Artemisia dicuntur à Dioscoride βαρύοδμα, & à Plinio graueolentia, cum tamen non sint fœtida. Imo Dioscorides ait, Polium esse βαρύοδμον μετὰ ὠδῖνας ἐυωδίας. Et de Cunila seu Origano inquit Virgilius: Grauiter spirantis copia Thymbræ. Non est autem ingratus odor Origani, ut constat. Plerunq; igitur βαρύοδμον significat non quod fœtore, sed quod nimia, &, ut ita dicam, densiore fragrantia offendit. Hæc breuiter de paucis adpellationibus dixi, ut in lectione autorum diligentius considereretur earum significatio.

βαρύ. οδμον. Δυσῶδες.

Aiunt autem hominibus hebetiorem esse olfa-

ctum, quàm canibus & quibuſdam alijs animantibus, quia cerebrum habent copioſius & humidius.

Quod eſt organum olfactus?

Verum organum olfactus ſunt duo propagines à prioribus uentriculis cerebri deſcendentes ex ipſa cerebri ſubſtantia in os ἠθμοειδὲς, ſparſæ ad foramina, ut in deſcriptione anatomica dictum eſt, ſupra nares oſſi frontis inſertum eſſe os, quod multa exilia foramina habet, quæ ſunt meatus & aëris & odorum, quod antiquitas nominat uel ἠθμοειδὲς, id eſt, colatorio ſimile, uel σπογγοειδὲς, quia multa in eo foramina conſpiciuntur, uelut in ſpongia.

Organum olfactus.

Cum igitur per hæc foramina penetrarunt halitus, qui odores perferunt, arripiuntur & percipiuntur per illas cerebri propagines, & tranſmittuntur in priores uentriculos cerebri, quod bonis odoribus uult natura ſuauiter foueri. Nares uerò ita ſeruiunt huic beneficio, quia in eis colliguntur halitus, & ualà ſunt collectis halitibus ad illa foramina.

De Medio.

Vt odor exhalans à corporibus, ſpargi poſſit, medio opus eſt, per quod tranſmittatur ad organum.

num. Nobis igitur medium est aër. Pisces per aquam odores percipiunt. Nam alij alijs escis capiuntur. Et polypum aiunt fugari à saxo, cui adhæret, origano illito.

Quid est sensus Gustus?

Est sensus in lingua & palato percipiens sapores.

Quod est obiectum?

Sapor, qui est qualitas in succo in quo humiditas uincit siccitatem terrestrem, calore utranq; dirigente. Dixi enim supra, in sapore dominari humiditatem. Quare Theophrastus sic definiuit saporem. Sapor est partis siccæ percolatio per humorem à calore facta.

Græci cum obiectum gustus nominant, utuntur adpellatione χυμός, quam uocem promiscuè usurpant pro sapore, & pro humore. Aliud nomen est χυλός liquor. Et Galenus inquit, ueteres Græcos non χυλόν, sed χυμόν dixisse pro humore, sapore, & liquore.

Saporum species aliter ab alijs numerantur, & Galenus inquit, difficulter eas discerni posse. Aristoteles & Theophrastus recensent octo differentias.

Dulcis,	γλυκὺς.
Pinguis,	λιπαρὸς.
Auſterus.	αὐσηρὸς.
Acerbus,	σφυφνὸς.
Acris,	δριμὺς.
Amarus,	πικρὸς.
Acidus,	ὀξὺς.
Salſus,	ἅλμυρὸς.

Has adpellationes prodeſt notas eſſe, quia paſſim obuiæ ſunt in deſcriptionibus plantarum & liquorum. Et conſideratio harum differentiarum continet eruditas diſputationes, qualibus temperamentis qui ſapores gignantur. Acria calida ſunt, ut piper, allium. Acerba frigida, ut fructus glandium, caſtaneæ. Addam igitur breues deſcriptiones.

Dulcis ſapor eſt, in quo exuberat aërea humiditas in ijs, quæ ſunt temperatè calida, & quem, cum naturæ ſanguinis noſtri & carnis proximè congruat, lingua auidè excipit, ac uoluptate ac dilatatione adficitur, eo fruens non læditur, non exulceratur ab eo, nec refugit eum, ut amara ſeu acria. Dulcia ſunt Lac, Mel, uinum. Ac regula nota ſit. Nutrimentum hominis oportere eſſe dulce, aut dulci permixtum. Nam dulcia iungunt, implent

implent & restituunt eroſas particulas. Sed interduum excellenter dulcia nocent, quia cum ſint ualde calida & aërea, cito in igneam naturam uertuntur, ut Mel & Saccarum celerrimè uertuntur in Rubram bilem. Quare auidius uſi ſaccaro ſæpè periculoſè inflammantur. Ad hæc dulces cibi intemperantius eduntur. Ideo propter humoris copiam ſequuntur putrefactiones.

Pinguis ſapor uicinus eſt Dulci. Eſt enim in liquore dulci, in quo tamen aërea humiditas ſparſa eſt in re minus tenuium partium, & calor debilior eſt, ut in Oleo, butyro, carne. Hæc quoq; ſi ſint mediocria, proſunt in nutrimento. Sed nimis pinguia nocent, quia ſolent ſupernatare, & impedire coctionem, & oppilationes efficere. Vulgo hunc ſaporem nominant Vnctuoſum.

Nec diſcerno à dulci ſuauem odorem, niſi gradibus. Cum enim dulcedo mediocris eſt, & rectè temperata, fit ſuauis. Vt manus cum inſeritur aquæ mediocriter calidæ, adficitur uoluptate, ita mediocriter dulcia, quia ſunt temperatè calida, & cum ſanguinis & carnis natura congruunt, efficiunt ſuauitates.

Sapores contrarij ſunt Dulci, pingui, & ſuaui,

Amarus, Acris, Acidus, Acerbus, Auſterus, & ſalſus. Hi uerè differunt, ut exempla & effectiones oſtendunt, etiamſi imperiti non ſatis dijudicant has differentias. Genus ſit commune omnium, dulci contrarios eſſe, & aſtrictionem efficere, quæ aliàs magis, aliàs minus offendit ſeu exaſperat linguam.

Amarus, πικρὸς, ſapor eſt qui detergit, & mordet linguam, eſtq; in natura terreſtri craſſa, in qua excedunt calor & ſiccitas, ut in Bile, Nitro, Marrubio, Abſynthio.

Acris, ὀξὺς, non ſolum mordet ac rodit linguam, ſed etiam urit, penetrat, & ualdè diſſoluit, ut ferrum ignitum. Eſtq; in natura tenui, in qua excedunt caliditas & ſiccitas. Et acria ſuperant calore res amaras. Sunt autem acria, ut Piper, Zinziber, Allium, Cepa, granum Cnidium, id eſt, kellerſaltz, Calx.

Acidus, ὄξυς, acetoſus eſt, qui mordendo conſtringit & refrigerat, ac citra calefactionem attenuat, diuidit, & uellicat. Eſtq; in natura tenui, frigida & ſicca, in qua dominatur frigiditas. Nam quæ ſunt tantum Acida, ſunt præcipuè frigida, ut oxalis, quæ uulgo Acetoſa nominatur, quia hæc purè hunc ſaporem habet. Eſt & ſpecies mali punici uerè acida.

Alia

Alia quædam ſunt mixtæ qualitatis, ut acetum, quod eſt ſubacre, quia etſi frigidum eſt, tamen retinet obſcurum calorem, ut cinis, ex uini corruptione. Inde fit ſubacre, ſed tamen dominatur frigiditas. Cum enim exhalant aëreæ partes, & reliquæ manent terreæ, dilutæ aquoſa tenui parte, fit Acetum ſua natura frigidum.

Acidus ſapor.

Cient autem acida appetentiam, quia humores uicioſos in orificio collectos, diuidunt & pellunt, & mordicatione non urente irritant uentriculum, ut Oxalis grata eſt in febribus, non ſolum quia pellit bilioſos humores, ſed etiam quia calorem bilioſum mitigat.

Acerbus ſapor σφυρός eſt, qui contrahit linguam, & introrſum pellit, ideoq; conſtipandi, denſandi, & aſtringendi uim habet. Eſtq; in natura terreſtri, craſſa, frigida et ſicca. Ideo enim acerbus ſapor dicitur eſſe tardior, quam acidus, quia acidus eſt in natura tenuiore minus terreſtri. Acerba ſunt, ut, fructus glandium, pyra ſylueſtria, & in genere immatura poma, mala cydonia, ac magis immatura. Nam poſtquam maturuerunt, fit mixtus ſapor ex acerbo & dulci, ſicut nucum ex acerbo & pingui. Sunt σφυρὰ & fructus po-

terij, qui uulgo ribes dicitur. Item caſtaneæ, cornа, & poma Cynosbati, heimboten.

Quanquam autem recentior ætas mutauit appellationes, & pro acerbo dicit aliàs στυπτικὸν, aliàs ponticum, tamen quia confuſio in nomenclaturis parit errores, reuocandæ ſunt ueteres adpellationes. Ideo græcas & latinas adſcripſi, quibus intellectis, recentiores collatæ etiam facilè intelligi poſſunt. Στυπτικὸν à σύφω, id eſt, aſtringo, uſitata Græcis uox eſt in genere, pro eo quod habet uim aſtringendi. Ponticum exiſtimat Pontanus dictum eſſe à pugnando. Recentiores etiam diſcernunt Stypticum & ponticum, non ſpecie, ſed gradibus. Ponticum dicunt eſſe ualde σφυφνὸν, ut ſunt pruna ſylueſtria, quæ nos nominamus Sleben. De quibus Virgilius dixit: Spinos iam pruna ferentes. Vulgo alieno nomine adpellant acacias. At ſtypticum aliquanto minus σφυφνὸν eſt, ut mala Cydonia. Sed ſingulæ ſaporum ſpecies uarios habent gradus, & mixturæ ſunt saporum, ut mora ſunt σφυφνὰ, acida, & nonnihil dulcia.

Auſterus αὐστηρὸς ſapor eſt, qui aſperitatem quandam in ſumma lingua efficit, & leuiter deſiccat, nec pellit intro, nec condenſat, ut acerbus ſapor.

ſapor. Eſt enim quædam inter hos uicinitas, ut cum ὄμφακες ſint acerbæ, poſtea in eis auctо humore, ſequitur auſterus ſapor. Eſt igitur Auſterus ſapor in natura terreſtri, craſſa, frigida, & ſicca, ſed plus habente caloris & humiditatis, quàm habent acerba. Eſt auter inter uini ſapores Auſterus. Et Galenus inquit, Auſtera uina magis corroborare uentriculum, & minus officere cerebro. Iuuant enim uentriculum natiua ſiccitate, & aliquantulum aſtringunt, & minus calidos fumos exhalant, ſed tamen de uino non crudo, non niſi aquoſo ac tenui loquitur.

Salſus ἅλμυρὸς ſapor eſt, qui linguam non contrahit, nec conſtipat, ſed detergit & abluit diſgregando & exiccando. Huiuſmodi eſt ſalis natura, qui ideo putrefactiones impedit, quia deſiccat & extenuat, ac crodit humiditates. Ideo mollem carnem indurat, & duram reddit molliorem, nam ut in molli abſumit ſuperfluam humiditatem, ita rurſus duram eroſione attenuat ac relaxat. Eſtq; Salſus ſapor in natura terreſtri, craſſa, calida & ſicca.

Has differentias recitauimus, quia & uocabula intelligi prodeſt, et ſtudioſi Phyſices diuerſas qualitatum effectiones in his exemplis conſiderare poſſunt.

Quod

Quod est organum gustus?

Organum gustus.

Est pellicula expansa in lingua sub carne po
rosa seu spongiosa, quæ est in linguæ superficie
Eadem pellicula & in palato sparsa est, oritur
à neruis per palatum demissis ad linguæ radicem
qui & gustum & tactum linguæ ac palato suppe
ditant. Nam alij sunt nerui, qui motum linguæ im
pertiunt.

Quod est medium gustus

Medium quo fit gustatio, est uel exterius, sali
ualis humiditas, uel interius, caro fungosa. Ideo
Cur febri
citantib. om
nia sunt amara
febri laborantibus omnia fiunt amara, quia redun
dat in lingua, saliua biliosa.

Quid est sensus Tactus?

Est sensus percipiens primas qualitates pellicu
la neruea expansa per carnem toto corpore, tan
quam reti.

Quod est organum tactus?

Vt nerui cæteris sensibus uim sentiendi imper
tiunt, ita constat tactus organum esse pellicular
Organum ta
ctus & pelli
cula nervea
in toto corpore
nueam intextam carni, toto corpore, sub extre
ma cute, eaq; pellicula comparet, quacunq; carnis
parte dissecta.

Oritur autem à neruis & cerebri & medullæ
spinæ

ſpinalis, etſi tactum acriorem ſuppeditant nerui ſubtiliores, uidelicet propagati à cerebro, ut qui ad capſulam cordis, item qui ad orificium uentriculi deſcendunt.

Medium uerò per quod nerui ſeu pelliculæ tactum percipiunt, eſt caro bene diſpoſita, aut os cui neruus inſeritur. Nam & dentes tactum percipiunt. Ariſtoteles paucis uerbis in libello, de ſenſu, uidetur collocare organum tactus in corde, fortaſsis eò, quòd inde neruos oriri putat. Sed nos eam opinionem non amplectimur.

Quod eſt obiectum?

Qualitates primæ. Caliditas, Frigiditas, Humiditas, Siccitas, & aliæ quædam, quæ has comitari ſolent. Durum, Molle. Aſperum, Glabrum. Graue, Leue. Denſum, Rarum.

Quot ſunt obiecta communia?

Quinq; nominantur obiecta communia, quia à pluribus ſenſibus percipiuntur. Magnitudo, Figura, Numerus, Motus, Quies. Hîc uolens omitto cauillationes, quæ opponuntur de modo, quo percipiuntur hæc communia obiecta. Ac ſatis eſt ſcire, talem eſſe naturam. Color eſt in corpore quod habet latitudinem. Cum igitur color oculis cernatur,

neceſſe

res, tamen cum consensus sit de reipsa, non est opus litigare de modo enumerationis.

Nos Galenum sequimur, qui tres sensus interiores recenset, Sensum communem, Cogitationem seu compositionem, & memoriam. Nomina apud Galenum hæc sunt, φαντασικόν, διανοητικόν & μνημονευτικόν. Hæ adpellationes perspicuè indicant discrimina.

φαντασικόν. διανοητικόν μνημονευτικόν.

Sensus communis apprehendit imagines oblatas à sensibus exterioribus, & discernit obiecta singulorum sensuum.

Deinde alia uis, componens & diuidens, & aliud ex alio eliciens tanquam raciocinatur, & iudicat.

Tertia retinet obiectorum memoriam, eaq; recordatur.

Sunt autem organa hæc. Anterior pars in geminis cauitatibus seu uentriculis cerebri, est organum sensus communis. Postquam enim ut in speculis, ita in organis exteriorum sensuum fulgent imagines, spiritus uibrati induunt earum similitudinem, & transuehunt eas ad cerebrum. Ibi ut lingua format articulatam uocem, ita & cerebrum uibratum à spiritibus format suo quodam admi-

rando

rando motu quaſi collocans ſpiritus, alia atq; alia ſimulacra. Vt enim fiant actiones & imagines in cerebro, concurrere et ſpirituum uibrationem, & ipſius cerebri motum aliquem, conſentaneum eſt. Non enim tantum feritur cerebrum à ſpiritibus, ſed ipſius etiam aliquis motus eſt, tanquam collocans ſpiritus, componens & diſtribuens, ſicut linguæ motus diuerſi ſunt, quaſi collocantis in aëre diuerſas figuras articulatæ uocis.

Ita condita eſt hominum natura diuinitus, ut fieri cogitationes in nobis, & formari ac ordinari imagines ſciamus. Quomodo fiant, non cernimus in hac caligine. Sed tamen hanc ipſam formationem imaginum non dubium eſt umbram eſſe ſignificantem aliquid de Filio Dei. Vt enim aliquo modo conſideremus, cur Filius cogitatione genitus nominetur Imago æterni Patris, etiam in nobis uoluit Deus imagines fieri cogitatione.

Sunt autem officia primi ſenſus interioris, accipere omnium exteriorum ſenſuum obiecta, & ea diſcernere. Oculus pariter albedinem & nigredinem percipit. Sed ſenſus communis diſcernit.

Deinde proximus eſt ſenſus, cui tribuuntur

compositio, seu æstimatio, seu qualiscunq; ratiocinatio & iudicium. Aristoteles à priore non discernit. Sed ut dixi Galenum sequimur, & organum ei in medio cerebro attribuimus. Aiunt enim naturas hallucinatrices esse in raciocinando & iudicando eas, quibus media cerebri pars languidior est, ut supra de Thersitæ capite dictum est, de quo inquit Homerus: φοξὸς ἔκμ κεφαλήμ.

Tertio loco numeratur memoria, cuius organum esse in postrema parte cerebri, multa signa sunt, siue ipsum cerebellum dicamus id organum esse, siue partem uicinam.

Est autem cerebellum siccius, & multos sinus habet, quare ad accipiendas imagines & retinendas magis accommodatum esse existimatur. Vt autem in cera σφραγῖδες imprimuntur, ita in organo memoriæ à spiritibus imprimi simulacra cogitemus. Aliquam uerò esse organorum distinctionem, consentaneum est, ut supra dixi, etiamsi interualla non satis discerni possunt.

Illud autem sæpè cogitemus, cum in nobis sit ratiocinatio, & humanam naturam aliunde ortam esse constet, sequi necessario, Opificem huius naturæ sapientem esse, quia impossibile est à natura bru-

ra bruta oriri intelligentem. Reſtat igitur alia uita, in qua & opificem, & has machinas melius intelligemus, ut poſtea copioſius dicetur.

Quid eſt potentia Adpetitiua?

Deſcripſi ſenſus ut potui. Nunc adijcienda eſt potentia adpetitiua, quæ eſt facultas proſequens aut fugiens obiecta. Comes eſt cognitionis. Ac de beſtijs facile intelligi poteſt, ideo eis inditam eſſe cognitionem, ut ſenſus monſtrent uitæ præſidia, & contraria. In homine eſt ſublimior cognitio, ut agnoſcatur & celebretur Deus. Et ſeruit huic cognitioni etiam adpetitio, ut homo diligat Deum, lætetur & acquieſcat in eo. Sed poſtea de ſuperiore illa cognitione & adpetitione dicam.

Initio autem uulgaris partitio tenenda eſt, de appetitu, quam etiamſi nonnulli cauillantur, tamen uſitatam eſſe eruditis uidemus, & utilem eſſe diſcentibus non dubium eſt.

Triplex eſt Adpetitus. Naturalis, Senſitiuus, & Voluntarius.

De Naturali adpetitione non ſic loquimur, ut ſupra, ubi tantum inclinationem, non Actionem aliquam ſignificat, ut cum dicimus. Materia adpe-

tit formam: Lapis naturaliter adpetit locum deorsum. Hîc enim significat & naturalem inclinationem & actiones, quæ tamen non oriuntur à sensu, uidelicet, Attractionem, Retentionem, Expulsionem. Sic planta arescens appetit rigationem. Exhaustæ partes corporis adpetunt nutrimentum. Et ut magnes ferrum attrahit, ita membra lambunt uenas, & uenæ attrahunt sanguinem. Rursus onerata uasa repletione immodica, appetunt leuationem. Hic adpetitus ad uegetatiuam potentiam pertinet, quæ sic adpetit nutrimentum.

Sed hæc uocabula, Fames & Sitis significant non tantum adpetitionem cibi & potus, sed etiam sensum illius suctionis, hoc est, dolorem ex suctione ortum. Nos tamen non nimis subtiliter loquentes, transferimus famem & sitim ad adpetitiones naturales, ut has adpetitiones ab adfectibus discernamus, qui sequuntur cognitionem, & aliquo modo regi possunt imperio rationis.

Adpetitus sensitiuus est, qui comitatur sensum, & tantum competit animantibus. Hic duplex est. Aut fit per contactum, aut sine contactu.

Appetitiones quæ fiunt per contactũ, sunt duæ. Delectatio & Dolor, tactum seu aliorum quorundam sensuum actionem comitantes.

Est igi-

Est igitur Delectatio, *in neruis aut pellicula neruea, perceptio obiecti conuenientis, non lædens nec lacerans neruos, sed à natura ordinata ad eorum conseruationem, ut faucibus arefactis in siti grata est rigatio, quæ fit boni potus perceptione, qua nerui recreantur. In frigore pedibus nimium frigefactis, gratus est calor recreans neruos.*

Dolor uerò est neruorum seu pelliculæ neruea læsio aut laceratio, quæ fit ab obiecto non conueniente. Vt *cum ignis urit partem corporis. Est autem ut tactus, ita delectationis & doloris organum pellicula neruea intexta corpori, fitq; dolor acrior, cum ipsi nerui proximè læduntur, ut fit in spasmis, aut in cruciatibus, qui fiunt, cum calculi distendunt uenas & neruos.*

Vt *autem sensus per sese agunt naturaliter. Oculus incolumis apertus obiectum oblatum iusto interuallo, non potest non uidere: Ita in neruis naturaliter fit delectatio aut dolor. Nec causa est alia quærenda, sed sciendum est, ad hæc officia neruos conditos esse, ut sint instrumenta sensus et motus, & adficiantur delectatione & dolore.*

Hac naturæ proprietate considerata, satis per-

ſpicuum ſit, non omnes dolores aut delectationes oriri à cogitatione, aut tolli cogitatione poſſe, ut Stoici fingunt, quorum errores de adfectibus poſtea refutabimus.

Sunt igitur alij quidam gradus adpetitionum, qui non fiunt per contactum, ſed ſequuntur cogitationem, et propriè ſunt in corde, ac nominantur Adfectus. Hos diſcerni oportet ab alijs gradibus, *qui ſunt in uentriculo, aut in neruis in reliquo corpore, uidelicet à delectatione & à dolore.*

Eſt & diligentia digna eruditis, conſiderare ſubiecta ſeu loca, in quibus propriè & uerè ſunt ſingula genera. Nec decipiantur poëtarum aut Platonis ſermonibus, qui amorem in Epate *collocârunt, ut allegoriam de Tityo interpretantur, cuius cum* Epar *dicant lacerari à Vulturibus, propterea quòd amauerit Latonam, aiunt ſignificari, in* Epate *ſedem eſſe Amoris, ut Lucretius inquit libro Tertio:*

Sed Tityus nobis hic eſt, in amore iacentem
Quem uolucres lacerant.

Et Theocritus in Adonide inquit de oſculo,

Τοσσοῦτον με φίλησον, ὅσον ζώει τὸ φίλημα,

Ἀχὶς

Ἀχθις ἀπὸ ψυχῆς ἐς ἐμὸν σόμα, κ' ἐις ἐμὸν ἦπαρ
πνεῦμα τεὸν ῥεῦσα, τὸ δὲ σεῦ γλυκὺ φίλτρον ἀμέλξω.

Tantisper da suauiolum, dum basia uiuunt,
Ex animaq; tua dum spiritus in mea labra
Influit, inq; iecur, mulgenti dulcia philtra.

Sed hæc poëtica relinquamus, ac ueritatem consideremus.

Sunt autem adfectus, qui propriè sic nominantur, motus cordis noticiam sequentes, prosequentes aut fugientes obiecta, qui cum aut iuuent naturam, aut destruant, semper comitantur extremi motus, aut læsa natura dolor ac destructio, aut suauiter mota, delectatio seu læticia acquiescens in obiecto.

Affectus quid.

Ac ordo naturæ considerandus est, motibus cordis antecedere cognitionem, ut dicitur:

Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido.

Cognitio antecedit motus cordis.

Item.

Ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν.

Vt autem in Deo ipso est sapientia discernens recta & non recta, & deinde uoluntas, uolens recta, & sua quadam læticia acquiescens in rectis, & nolens contraria, & uera indignatione repel-

lens ac deſtruens: Ita uitam hominum ordinauit, ut ſint leges ſeu noticiæ recta præcipientes, prohibentes contraria, deinde uerò ſint magiſtratus, qui recta facientes protegant, & repellant ac tollant contraria facientes. Ideo autem hæc ita ordinata ſunt, ut agnoſcamus & eſſe Deum, & ſapientem, iuſtum, iudicem, & uindicem eſſe, & ut ſciamus, nos imaginem Dei eſſe, & eum imitari debere.

Ad hanc conſiderationem Dei & politicæ gubernationis, deducendi ſunt homines, cum cauſas utcunq; conſiderare ſtudent, quare adfectus in nobis conditi ſint. Non agnoſcitur Deus à cœlo, à terra, à plantis & pecudibus, etiamſi ei obediunt. Sed angelos & homines ita condidit, ut uelit ſe ab eis agnoſci. Fecit igitur eos naturas intelligentes, & attribuit normas iudicij certas noticias. Sicut magiſtratui leges tradit. Nec uerò legum utilitas eſſet, niſi magiſtratus protegeret recta facientes, & contraria facientes tolleret. Ita uult Deus in ipſo homine eſſe adfectus tanquam executores noticiarum, uult lætari corda, cum noticijs recta præcipientibus obtemperamus. Voluit ita uiuere & conſeruari hanc naturam lætantem agnitione Dei, & acquieſcentem in Deo. Rurſus etiam uult in cordibus noſtris uindices eſſe ingentes motus, qui coherceant

herceant nos, & puniant facta contra legem. Vult esse flammas iræ & doloris, quæ destruant naturam, postquam non congruit ad sapientiam & normam diuinam. Ita Cain, Saul, Iudas & similes destruuntur ira & dolore post scelera. Vt igitur noticiarum seu legum executores in nobis essent, adfectuum ignes nobis insiti sunt.

Huius causæ consideratio utilis est, & deducit nos ad archetypum, & postea multa monet, de ordine adfectuum, quem conditor instituit, & de confusione ordinis, quæ postea sequuta est. Ac studiosi diligenter hæc initia de causis adfectuum, & de collatione ad Deum, & ad imperia considerent. Nunc addo partitionem.

Adfectuum alij naturam iuuant, alij destruunt.

Iuuantes naturam, ut lætitia, spes, amor, oriuntur à noticia monstrante quiddam boni, siue sit toti homini bonum, siue parti, & siue erret noticia, siue rectè iudicet. Vt *lætatur* Augustus audita fama uictoriæ etiam falsa.

Adfectus autem destruentes naturam, ut, Tristicia, *metus,* Ira, Odium, *oriuntur à noticia monstrante quiddam mali, siue sit toti homini malum, siue parti, & siue erret noticia, siue rectè iudicet.*

Vt, Solon mœstus est audita fama de morte filij, quanquam falsa. Noticiæ enim antecedunt adfectibus, ut dictum est, & obiecta monstrant. Quid autem nominetur Bonum, quid Malum, infra dicemus, & alibi in Ethicis recitatur. Nunc utcunq; specierum uocabula declarabimus.

Lætitia quid?

Lætitia est motus, quo cor acquiescit in bono præsenti, & est dilatatio, qua cor uelut accipit intra sese, & amplectitur obiectum, ut amans lætatur amplectens puellam, eamq; uelut adiungere cordi, & intra cor accipere conatur. Nec uerbis descriptionem illustriorem tradere possum, sed sensu discernitur lætitia à mœsticia. Et discrimen esse Deus uoluit, ut antea dixi, ut alijs rebus iuuari naturam, alijs puniri & destrui sciremus.

Alia res in causa nam alia dolor.

Ac de Lætitia, consideretur causa. Voluit Deus lætitia dilatari cor, ut primum & ante omnia Deum ipsum acciperet. Est autem Deus uitæ & quietis, non destructionis autor. Ideo lætitia hoc modo condita est, etiamsi nunc quidem in hac naturæ deprauatione turbatus est adfectuum ordo.

Cur homini indita sit Lætitia?

Contrarij adfectus, qui destruunt naturam, sunt notiores, ut Tristicia, Timor, Ira, & similes.

Est igi-

Est igitur Tristicia motus cordis, quo percussum cor obiecto ingrato, constringitur, premitur, tremit & languesit cum acri sensu doloris. Ac nisi desinat tristicia, tandem cor torrefactum extinguitur. Hic cruciatus nobis inditus est, ut & metus futuri mali nos coherceat, & tristicia propter præteritum malum sit uindex & pœna scelerum, & testis iudicij Dei.

Vnde autem est in læticia suauitas, & in tristicia cruciatus?

Hi motus grati & ingrati primum oriuntur ab ipsa cordis substantia, quod ita conditum est, ut sit fons & sedes adfectuum, & suis quibusdam uillis dilatatur & constringitur: Et, si licet uti hac similitudine, his uillis, quasi manibus attrahit ac depellit obiecta.

Præterea sensus fit acrior, quia subtiles nerui à cerebro deducti sunt in corpus cordis, qui addunt delectationem læticiæ, & acerrimos dolores tristiciæ. Augetur dolor & uicinarum partium constrictione.

Ideo autem hi præcipui & acerrimi motus sunt attributi cordi, qui sunt aut uitæ conseruatio, aut destructio, quia in corde initium est uitæ, & fortassis cor sedes & domicilium est animæ.

Spes

Spes.

Spes est motus, quo cor futurum bonum appetit, seq; ad illud accipiendum, ut ita dicam, aperit ac præparat. Estq; similis motus lætitiæ, quæ quidem & spei permixta est.

Timor.

Timor est motus, quo cor constringitur, tanquã fugiens futurum malum. Estq; similis motus tristiciæ, quæ & timori permixta est.

Amor.

Amor est motus, quo cor appetit aliquod seu uerè bonum, seu quod uidetur bonum, idq; quasi attrahere gestat, ut eo potiatur & fruatur. Vicinus adfectus est spei, sed ardentior. Ideo describitur quasi attrahens obiectum, incitato corde tanquam ad fruendum ingens bonum.

Ira

Ira est mixtus adfectus ex tristicia & cupiditate ulciscendi. Est enim motus, quo cor offensionem aliquam auersatur, & simul conatur depellere, aut pœna adficere autorem, seu causam offensionis. Ita cum duplex sit obiectum, sunt duo motus, fugere offensionem, & persequi ingenti impetu autorem. Quare non ut in metu aut tristicia sanguis ad cor intro refugit, sed effunditur. Cor enim uelut ex castris suis erumpere conatur, & sanguinem ac spiritus, tanquam milites emittit ad propulsan-

Obiecta ira.

propulsandum obiectum. Hoc tanto motu incalescit cor, & inflammat spiritus & sanguinem. Turbantur actiones omnium membrorũ, propter motum sanguinis, et spirituum confusionem, sed præcipuè cerebrum offenditur, quod inflammato & agitato sanguine, & ardentibus spiritibus, ipsum quoq; incalescit, & concutitur motu sanguinis, spirituum, & neruorum, qui ad cor propagati sunt. Ideo uehementem iram comitantur phrenes, ut in Aiace, & interdum Apoplexiæ.

Ad hanc descriptionem congruunt sententiæ plurimæ scriptorum, ut Vergilij:

Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet.

Significanter enim describit inflammationem sanguinis & spirituum, ortam ab ingenti motu cordis. Ira incensa, ardent sanguis & spiritus, qui tremefaciunt totum corpus, ac ipsa etiam ossa. Sanderbeco aiunt concipienti flammas indignationum ante prælium, labra scissa esse, & erupisse multum sanguinis. Et uersus apud Suidam recitatur: σφύζεις ἀχιλλεῦ, ἡ δὲ μεθύσκη τὰς φρένας, quia in ira, bulliente sanguine in toto thorace, intumescit & pulsatur diaphragma, & fiunt turbidi motus, ut in Ebrijs.

Odium

Odium.

Odium est inueterata ira, hoc est, habitus ex ira ortus, quo cor auersatur aliquid, tanquam malum, idq; depellere gestit, & sunt contrarij adfectus amori, Ira & odium.

Pudor.

Pudor est uicinus iræ. Est enim motus, quo sibi ipsi quispiam conscius irascitur propter admissam turpitudinem, ac sese punit, & simul ueretur aliorum iudicia. Dixi autem supra, ideo diuersos adfectus, suaues & molestos nobis insitos esse, ut molesti sint uindices scelerum, ac pœnæ faciant conspectius discrimen inter rectè facta, & secus facta. Quamobrem & rectè dictum est ab Euripide: Impudentiam morbum esse maximum hominum, ἀναίδεια μεγίστη νόσων ἐν ἀνθρώποις. Ideo enim pudor attributus est naturæ hominum, ut & frenum sit hominibus, ne turpia faciant, & sit uindex postea, si fecerint.

Verecundia.

Verecundia est habitus metuentis turpitudinem, & indignantis, admissa turpitudine.

Misericordia.

Misericordia est tristicia propter alienas miserias orta.

Inuidentia.

Inuidentia est tristicia propter alterius fœlicitatem orta.

Zelus.

Zelus est mixtus adfectus ex amore & ira, cum

cum uidelicet amans aliquid, irascitur illi, à quo læditur res amata. Vt Helias zelo interficit Pseudoprophetas, uidelicet, amans Deum uehementer, indignatus est hostibus Dei. Sic iustus gubernator debet ardere zelo, hoc est, amore iusticiæ, & indignatione aduersus improbos. Similis adfectus est zelotypia, cum amans coniugem irascitur alienanti.

Ἐπιχαιρεκακία contrarius adfectus est zelo, mixtus ex odio & gaudio. Est enim odium uirtutis, & lætari calamitate bonorum, & successibus sceleratorũ, ut diaboli propriè sunt ἐπιχαιρέκακοι, qui lætantur calamitatibus Ecclesiæ, & sæuiciam in imbecilliorem naturam hominum exercent, nulla spe utilitatis suæ, tantum odio Dei. Et imitantur Diabolos multi, ut Semei lætatur exilio Dauidis, & uenenatissimis sarcasmis calamitatem ei exprobrat.

Recensui aliquot nomina adfectuum, ut considerari discrimina & causæ utcunq; possint.

Sunt autem causæ, obiecta & cor, sed cognitio obiectorum, ut supra dixi, motum cordis antecedit.

Ergo cum apprehendimus obiectum, & iudicamus bonum aut malum esse, spiritus moti in cognitio-

cognitione, feriunt cor, quod quasi ictum & pulsatum, cietur, & aut expetit obiectum, aut fugit. Talis est enim copulatio uirium naturæ, ut motus cordis respondeant cognitioni, ut rebus cognitis uel acquiescat homo, uel pœnam & destructionem sentiat.

Ac dixi supra, ipsam cordis substantiam adfectuum fontem esse. Multum igitur refert, quale sit temperamentum cordis. Calidius & siccius, celerius & uehementius incenditur ira.

Sciendum & hoc est, Alios humores cieri alijs adfectibus. Vt Ira, quia fit inflammato corde, ciet ardentissimum humorem, scilicet rubram Bilem, quæ effusa, reliquum sanguinem inficit, qui alioquin iam à spiritibus irati cordis accensus est. Vt Vergilius libro 8. inquit, loquens de Irato Hercule:

Hîc uerò Alcidæ furijs exarserat atro
Felle Dolor.

Fel nominat Atrum, quia ut Adfectus ipsi, ira & mœsticia inter sese miscentur, ita utrinq; exæstuant humores, ex felle, Rubra bilis, & ex splene, Atra bilis. Nam in tristicia cor fugiens, attrahit ex splene lentum humorem melancholicum, qui effusus, cum sub costis in sinistro latere confluit, facit oppilatio-

oppilationes, & adfert periculosos morbos Hypochondrios. Nosse autem causas & organa adfectuum, & motus humorum in singulis generibus, conducit eò, ut maiore cura & ipsi adfectus regantur, & partes corporis concussæ foueantur.

Addenda est etiam doctrina ualde utilis & uerè philosophica, de regendis adfectibus, quæ eò diligentius consideranda est, quia uox diuina in illa uetustißima concione ad Cain inquit, sub te sit adpetitus tuus, & tu domineris eius.

Indidit Deus radios suæ sapientiæ mentibus humanis, ut discernamus recta & turpia, & cogitemus, qualis sit Deus, uidelicet sapiens, uerax, bonus, beneficus, castus, liber, iudex & uindex, & sciamus uelle eum, ut creaturæ rationales cum ipso congruant. Et quanquam nunc in hac deprauatione hominum, libertas ualde impedita est, tamen uoluit Deus aliquam libertatem reliquam esse, & ut intelligi poßit, ipsum esse agens liberum, & ut frenum mijci membris, & reprimi adfectus poßint.

Vt autem hæc gubernatio magis fiat perspicua, intueamur imperia, nam hæc imitari naturæ humanæ ordinem debent.

Gubernatio in Imperijs duplex est. Altera nominatur δεσποτική, altera πολιτική.

Facilius autem intelligitur δεσποτική, id est Herilis, cum uidelicet coacti obediunt inferiores, ut cum homo inquietus impeditur carcere, ne tumultuetur.

Altera, quæ nominatur πολιτική, est, cum suadendo flectuntur animi ciuium, ut uolentes obtemperent, quia uidelicet bono aliquo aut metu mali mouentur, ut legi non repugnent, ut, ciues Attici uolentes obtemperant Thrasybulo, ferenti legem, ne exules repeterent sua patrimonia, ex quibus iniustè electi erant. Etsi enim multi ex præcipuis ciuibus magnis damnis adficiebantur, tamen quia facultatum repetitio motura erat noua bella, pacis publicæ causa malebant suo carere. Hoc bono moti, legem uolentes accipiebant.

Ita in homine duplex est gubernatio, Altera δεσποτική, qua mens & uoluntas cogunt Locomotiuã, ut externa membra uel reprimantur, uel incitentur, ut in ardentißima siti possunt tamen mens & uoluntas imperare manibus, ne poculum attingant. Sic sunt conditi nerui, ut mentis & uoluntatis imperio cieantur. Ita per loco motiuam

uelut

uelut carcere membra externa coherceri possunt, etiamsi adfectus in corde repugnent. Imo et adpetitiones cibi & potus hoc modo frenantur. Nec obscuritas est huius & libertatis & gubernationis, quæ quidem custos est totius externæ disciplinæ. Et docendi sunt homines, ut hunc gradum intelligere discant, & exerceant, quia Deus seuerissimè præcipit, ut hoc modo externa membra frenentur.

Ita Achilles, etsi ardet ira, tamen retractus à Pallade, id est, ratione commonefactus, imperat manibus, ne stringant gladium. Hom. Iliad. α.

Secunda gubernatio in homine est ea, quæ nominatur πολιτικὴ, cum non tantum externa membra per loco motiuam cohercentur, sed ipsum cor congruit cum recta ratione, & honesta uoluntate, motum persuasione. Vt cum filius Thesei Hippolytus abstinet à nouerca Phædra. Consentaneum est enim, eum corde abhorruisse ab ea, cogitantem incestam consuetudinem non esse leue scelus, & puniri diuinitus atrocibus pœnis. Cumq; talis consonantia est recti iudicij, uoluntatis, cordis, & externorum membrorum, ea actio iustè nominatur uirtus. Sed rara est in hac hominum infirmitate. Et sicubi est talis uirtus, ut in Scipio-

ne, non est sine singulari motu diuino, sicut honestè dictum est à Cicerone: Nulla excellens uirtus est sine adflatu diuino.

Ecclesia habet illustriora & plura exempla, ut Ioseph fugientis illecebras dominæ. Item Danielis retimentis animi constantiam & celsitudinem inter leones, & martyrum in similibus exemplis confessionis. Nam ideo colligit Deus Ecclesiam, ut sanatis morbis nostris, & restituta uita æterna, communicet nobis sese, suam lucem, sapientiam, & uirtutes suas in omni æternitate. Et huius lucis & harum uirtutum initia in hac uita accendit in nobis, ipse habitans in pectoribus nostris. Et quidem præcipit, ut petamus nos ab ipso gubernari, ut uera uirtus, seu hæc gubernatio, quæ est consonantia Dei, mentis nostræ, uoluntatis, cordis, & externorum membrorum, restituatur. De hac repressione adfectuum præcipuè loquitur concio in Genesi: Sub te sit appetitio tua, & tu domineris eius. Hæc doctrina alibi copiosius exponitur. Sed cum de adfectibus hoc loco diceretur, aliquid etiam de diuersis modis, quibus frenantur, dicendum fuit.

Nunc addam breues & perspicuas refutationes Stoicorum. Nam & hac commonefactione iunioribus

iunioribus opus est, præsertim in Ecclesia, ne putent, congruere Stoica dogmata cum Euangelio, sicut multi somniarunt.

Qui sunt errores Stoicorum de Adfectibus?

Præcipui errores Stoicorum de adfectibus, tres sunt.

Primus. Quòd adfirmant adfectus esse opiniones.

Secundus. Quòd aiunt omnes suo genere uiciosos esse.

Tertius. Quòd aiunt omnes ex natura hominum tollendos esse.

Primum, Adfectus non esse opiniones, manifesta demonstratio est. Quæ subiectis differunt, diuersæres sunt. Opinio est in cerebro, adfectus in corde. Vt Amor, Ira, odium & similes motus, quos supra in corde collocauimus. Sunt igitur res diuersæ.

Si qui uerò somniarunt, famem et sitim esse opiniones, prorsus fatui fuerunt, cum manifestum sit, famem & sitim fieri suctione uenarum, ut supra diximus. Et diuinitus hæ adpetitiones in omnibus animantibus ordinatæ sunt, ut quærant cibum, & certo modo alantur.

Il argum.

Præterea dolores sentiri in laceratione neruorum manifestum est, quia sic sunt conditi nerui, ut sint instrumenta sensus & motus, & bene sit eis, cum percipiunt motiones conuenientes, & crucientur ac destruantur in laceratione.

Hæc omnia certo consilio sic ordinata sunt a conditore. Dolor igitur ubiq; in neruis fit, cum obiecto contrario tanguntur. Non est igitur opinio in mente aut cerebro. Quare non ideo Posidonius stoicus in morbo articulorum non dolebat, quia repugnans clamabat: O dolor nihil agis. Fatebatur enim, se cruciatus sentire.

Posidonius in morbo articularis laborauit.

III. argum.

Postremo & hoc argumentum ostendit, adfectus non esse opiniones, quia quidam adfectus seu inclinationes naturæ insunt animantibus sine deliberatione, ut στοργαὶ φυσικαὶ in parentibus erga sobolem. Explodenda sunt igitur Stoicorum deliramenta in hac quæstione.

Sed obijciunt Stoici hoc argumentum: Cicero expulsus ex patria, ualde dolet. Aristides, Camillus non dolent. Est igitur dolor opinio.

Perspicua & uera responsio est. Non sequitur inde, dolorem esse opinionem, quia in alia parte

humani

humani corporis dolor est, In alia parte, opinio. Sed hoc sequitur, obiecta seu causas doloris differre. Aliàs cor ueris obiectis mouetur, Aliàs falsis. Solon putans filium mortuum esse, dolet, quia obiectum triste ostenditur, etiamsi falso propositum est. Cicero iudicat, magnum malum esse carere splendore, in quo uixit antea. Sed Aristides & Camillus iudicant seruiendum esse patriæ, non fucosi splendoris causa, sed donec possunt propter populi utilitatem, ut si quis in naui remos agitet, cum uerò remouentur, id interuallum seu quietem, non esse rem malam iudicant. Non sunt igitur tristes, quia obiectum, quod sibi proponunt, non est res mala, scilicet uacatio illa & quies, ut si à remis liberati essent. Sicut Aeschines in exilio dicebat, se gaudere, liberatum se esse à gubernatione, uelut à rabiosa cane. Ex his exemplis alia multa iudicari possunt. Ac ridiculè Stoici argumentantur. Etiamsi aliquando falsis opinionibus mouetur dolor, tamen non semper id fit, Sed sæpè ueræ causæ monstrantur, ut cum nimis ueris causis dolet Dauid, cogitans ueram Dei iram aduersus lapsum, et cernens pœnas, furorem filij, cedes ciuium, incestas contaminationes coniugum, & alia seditionis mala.

Nunc de altera quæstione dicam, An sint omnes

adfectus ſuo genere uicioſi, ut Stoici finxerunt, & multi infatuati Stoicis deliramentis ſimilia dicunt.

Reſpondeo.

Nequaquam omnes *adfectus ſuo genere uitioſi ſunt.* Et *ut ſit illuſtre diſcrimen, legem* Dei, *quæ eſt ſapientia* Dei, *& regula omnium actionum & motuum, intueamur.* Boni *adfectus ſunt ſuo genere, qui congruunt ad legem* Dei, *ut diligere* Deum, *timere* Deum, *diligere natos, parentes, coniugem, fratres, bene meritos, adfici miſericordia in calamitate iuſtorum, iraſci ſceleribus, lætari uirtute, dolere propter noſtra & aliena ſcelera, lætari iuſtorum fœlicitate.* Contrarij uerò adfectus *mali ſunt, qui pugnant cum lege* Dei, *ut, iraſci* Deo, *odiſſe parentes, natos, coniugem, magiſtratus, amare coniugem alterius iniuſto incendio, alienas facultates appetere, uri gloria honeſtorum, & eis inuidere, ſicut Saul uritur gloria* Dauidis. Lætari *in calamitate iuſtorum, ſicut Semei lætatur in calamitate* Dauidis. Hoc *diſcrimine conſtituto, intelligi poteſt, qui adfectus ſuo genere ſint boni, qui uicioſi.*

Teneantur autem hæc argumenta ad refutandos Stoicos.

Primum maximè illuſtre. Lex *diuina præcipit*

res op-

res optimas. In lege diuina præcipiuntur multi adfectus, dilectio Dei, coniugum, natorum, parentum, & aliorum hominum. Lætari rebus honestis, & dolere propter propria & aliena delicta, & tristes casus suorum. Irasci sceleratis, ut in Psalm. 68. scriptum est, zelus domus tuæ comedit me. Et Psalmo 138. Perfecto odio odi inimicos tuos. Ac nequaquam dubium est, tales motus in Elia, Eliseo, & similes uerissimè accendi Spiritu sancto. Certissimum est igitur, nequaquam omnes adfectus suo genere uicioſos esse.

Nec difficile esset hanc sententiam splendidè illustrare recitatis testimonijs de æterno Patre, sonante de cœlo: Hic est filius meus dilectus, quo delector. Item commemoratione de filio Dei, qui lætatur, dolet, irascitur. Et de Spiritu sancto, qui est tanquam flamma diuinorum motuum, & accendit motus similes in sanctis, ut expresè dicitur, in cap. 5. ad Galatas, Fructus spiritus sunt, dilectio, gaudium, fides. Et in uita æterna, cum Deus erit omnia in omnibus, certè pectora hominum erunt plena dilectione Dei & lætitia. Hæc uerissima argumenta si considerabunt studioſi, simul de uoluntate Dei multa piè cogitabunt, & magis abhorrebunt à stoicis deliramentis.

Præterea nihil à Deo conditum in natura hominum, suo genere malum est. Vt autem lumen in oculis à Deo conditum est, ita cordi insitæ sunt στοργαὶ diuinitus, & quidem ideo insitæ sunt, ut sint commonefactrices de dilectione Dei erga filium, & erga nos. Non sunt igitur suo genere uitiosæ.

Sed obijciet aliquis. Cum alij adfectus boni sint, alij mali, cur de tota natura humana dicitur capite octauo ad Romanos: Adfectus carnis inimicicia est aduersus Deum?

Hîc monendi sunt iuniores, ut discernant per se uitiosa, & per accidens uitiosa. Per se uitiosi sunt adfectus, qui pugnant cum lege Dei, ut, appetere alterius coniugem. Vitiosa per accidens sunt motus conditi à Deo, ut, amor coniugis, aut sobolis, quia enim aut sunt in non renatis, & prorsus non reguntur fide, dilectione Dei, & timore Dei, deniq; non reguntur ipso Spiritu sancto, & fiunt uitiosi, quia non reguntur ordine: Aut in renatis in hac imbecillitate aliquid contagij retinent.

Cæterum de dicto Pauli suo loco copiosior explicatio quæratur. Præcipuè enim loquitur Paulus de adfectibus erga Deum in non renatis, qui aut furores

furores Epicureos habent, aut Academicas dubitationes, aut cum sentiunt iram Dei, ut Saul, Iudas, & alij oppressi talibus terroribus, horribili fremitu & indignatione fugiunt Deum. Est igitur hoc dictum Pauli tristissima concio, & de summis adfectibus loquitur, qui aliorum inferiorum ordinem turbant. Hac breui admonitione hîc contenti simus.

Addo & de nomine Concupiscentiæ admonitionem, quod cum in Ecclesia sæpè usurpetur de ἀταξία in adpetitionibus, aliqui inepti intelligunt, omnes adpetitiones sine discrimine damnari. Sciamus igitur naturam hominũ ita conditam esse à Deo, ut habitura fuerit adpetitiones ordinatas, si mansisset integra, famem, sitim, lætitiam, amorem, dolores, metum, et alios adfectus, qui tamen non euagati essent extra metas diuinitus constitutas.

Explicatio huius cum Epistola Iacobi.

Nomen igitur concupiscentiæ, cum in Ecclesia de re mala usurpatur, intelligendum est de ἀταξία in omnibus adpetitionibus & adfectibus superiorum & inferiorum uirium. De hac ἀταξία loquitur Iacobus, cum ait: Concupiscentia concipiens parit peccatum.

Hæc omnia in doctrina Ecclesiæ copiosè explicantur,

cantur, qua cognita, philosophorum disputationes melius iudicari possunt, qui cum uiderent in natura oportere adpetitiones esse, & scirent regendas esse ueris noticijs, quæ sunt in mentibus radij diuinæ lucis, mirabantur, quæ causa esset, cur ita ua-gentur adfectus, ceu feroces equi excusso rectore. Hinc igitur illa dicta sunt. Versus Cratetis.

πρωτίστη δὲ κακῶν πάντων ἐπιθυμίη ἔστί.

Et Lini uersus.

Ἡ ἐπιθυμίη ἡνιοχεῖ μάργοισι χαλινοῖς.

Cum igitur nescirent, unde sit hæc ordinis perturbatio in homine, Stoici disputabant, omnes adfectus suo genere uitiosos & tollendos esse. Aristotelici uerò negabant, ullos esse uitiosos sua natura, sed attributos esse hominibus à prouidentia, uelut calcaria, ut extimulent nos ad quærenda uitæ præsidia, & ad alias bonas actiones. Frenandos tamen esse iudicio rationis eatenus, ne membra externa uehementius impulsa, faciant contra honestas leges. Possunt autem & hæc Aristotelica, & aliorum philosophorum dicta iudicari, cognita doctrina Ecclesiæ.

Hinc etiam sumatur firma & euidens refutatio Tertij erroris Stoicorum, uidelicet, de tollendis ex

dis ex natura adfectibus. Cum & condiderit Deus in natura hominum adfectus, & in lege sua præcipiat, & postea restituat bonos motus in cordibus nostris Spiritu suo sancto, cumq; æterna iustitia et uita sit dilectio Dei, et lætitia in Deo acquiescens: manifestum est, non omnes adfectus ex natura tollendos esse. In Elisabeth ac Maria sunt sopγαὶ erga filios, quæ & placent Deo, & sunt puriores, quàm in alijs matronis, quia reguntur fide & dilectione, & ipsis flammis Spiritus sancti. Nec ero prolixior in re manifesta, sed hæc recitaui, ut cum multa legantur, etiam apud scriptores Ecclesiasticos ineptè scripta de ἀπαθείᾳ, ne iuniores probent illas κακοζηλίας amore nouitatis, sed consideratis fontibus iudicent, quid sentiendum sit.

Vnde in scholas translata sunt hæc nomina, potentia concupiscens, & potentia irascens, seu, ut ineptè dicunt, irascibilis?

Cum in uarijs disputationibus fiat mentio doctrinæ de Adpetitionibus, utile est gradus nosse, quos supra recensui, & uidere, quibus adpellationibus uetustas usa sit. Plato sæpè repetit hanc suam partitionem. Ait tres esse gradus in homine.

fol. 114.

Ἐπιθυμιτι-

uibrati mouentur ſuæ carnis naturâ, & ſuis quibuſdam fibris, & ſe dilatant & contrahunt. Hac dilatatione & contractione τένων trahitur, quo tracto, membra externa mouentur. Eſt igitur immediatum organum uoluntarij motus iuncturarũ, chorda ſeu τένων. Sed mediatum organum Muſculus. Et muſculus uibratur ſpiritu allato in neruis. Nerui impelluntur ab ipſo cerebro, quod dilatatur aut contrahitur. Cerebrum autem feritur noticia. Nec ulteriores cauſæ quærendæ ſunt. Sed hoc modo naturam animantium conſilio opificis ordinatam eſſe ſciamus, & hac facultate uoluntarij motus rectè utamur.

Iam hîc ex phyſicis nota ſit differentia motus naturalis, & motus uoluntarij. Motus naturalis eſt, qui non inchoatur nec ceſſat iuxta imaginationem animalis, ſed obiecto præſente, ſi natura non eſt impedita, non poteſt non ciere hos motus. Vt ignis urit materiam idoneam admotam. Trahit Magnes ferrum ſua quadam ui, ſine noticia. Ita uentriculus attrahit cibum, ui caloris, & ope uillorum. Naturaliter & cor gignit & tranſmittit ſpiritus, ſeu tardius, ſeu crebrius. Inde & pulſus eſt motus naturalis.

Sed motus uoluntarius eſt, qui iuxta imagina-

tionem

tionem seu delectum inchoatur, & cessat incitatis neruis, musculis & chordis in ijs animantibus, in quibus est uaria membrorum. agitatio, uidelicet, progressio, uolatus, gyratio, natatio, Nec iam loquimur de uermibus & conchis, in quibus tantum dilatatio & constrictio est, utcunq; promouens corpora, quæ etiamsi fit neruulis, tamen in his non cernuntur distinctæ machinæ, ut in alijs animantibus.

Tertius motus est mixtus ex uoluntario et naturali, ut urina partim sponte emittitur, partim suo motu labitur.

De potentia rationali seu Mente.

Etsi penetrari acie humanæ mentis rerum natura non potest, tamen uult Deus eam ab hominibus aspici, ut in ea consideremus testimonia de ipso, quæ ostendunt & esse Deum, & qualis sit. Ac ordo in tota reliqua natura, præter mentem hominis, ostendit, hunc mundum non extitisse casu, sed conditorem esse artificem sapientem, qui mirando consilio positus corporum, cœli, terræ, aëris & aquæ, & motus cœlestes, & rerum nascentium uires distribuit.

Sicut autem homo conditus est, ut in eo luceat

noticia Dei, & ut ei Deus communicet suam sapientiam & bonitatem, ita mentem humanam uoluit euidentissimum de ipso testimonium esse. Cui & insita est lux qua esse Deum agnoscimus, & insitæ sunt noticiæ, discernentes honesta & turpia. Et ut hoc discrimen sit illustre & firmum, additus est uindex in nobis. Sequuntur immutabili ordine horrendi cruciatus, damnantes scelera, ac reum prorsus delentes. Hoc discrimen ostendit, qualis sit Deus, & quòd sit iudex & uindex. Impossibile est noticias numerorum & alias, & discrimen honestorum ac turpium, ortas esse à bruta natura, aut casu sic nasci. Est igitur mens architectatrix sapiens. Et intelligimus Numeros, & discrimen honestorum & turpium in mentibus humanis immutabiliter lucere, & experimur tanquam uindice Deo naturam hominis destrui, cum hunc ordinem uiolat. Talis est igitur Deus, ut hunc ordinem uelit, & hæ noticiæ radij sunt sapientiæ diuinæ.

Esset autem hæc lux in nobis multo clarior, si natura hominum non languefacta esset, sed tamen adhuc reliquæ sunt scintillæ tantæ, ut de numeris nulla est dubitatio. Iudicium etiam de scelestibus post delicta tam tenaciter manet, ut homines rei extinguantur conscientiæ doloribus.

Cum

Cum igitur in hac parte hominis tam illustria sint de Deo testimonia, cumq; præcipuè discernat homines à bestijs, & sit uitæ rectrix, diligenter considerandа est, quantum fieri potest. Et fontes omnium artium sunt in hac potentia. Quare eius cognitio ad multarum rerum dijudicationem necessaria est.

Etsi autem hoc speculum Dei non potest ita monstrari, ut specula nostrorum corporum manu facta ex uitro & plumbo, tamen actiones ostendunt, esse in nobis talem potentiam, quæ & qualis sit, in illa æterna luce cernemus. Nunc actiones considerемus, & distinguamus, quæ nos à bestijs discernunt, & quæ sunt testimonia de Deo, & uitam regunt, & gignunt omnes honestas artes.

Diximus autem antea de potentijs, quæ nominantur Organicæ, id est, quæ non exercent suas uires, nisi per organa corporea, quæ quia monstrari possunt etiam in bestijs, doctrina de eis minus obscura est. At in homine esse aliam superiorem potentiam, eò constat, quia actiones habemus, quas bestiæ non imitari possunt. Homo numerat, intelligit non tantum singularia, sed etiam uniuersalia, habet noticias innatas, raciocinatur longe alia ex alijs, extruit artes, ludicat raciocinationes suas, &

deprehendit ac mutat errata, habet actus reflexos, ut uocant, discernit honesta & turpia, deliberat longa raciocinatione. Hæc non sunt communia nobis cum bestijs, sicut actiones sensuum, uidere, audire, in quibus superant nos etiam bestiæ, ut acie oculorum aquilæ, odoratu uultures.

Est igitur propria homini potentia racionalis, ut nominant, quæ est summa uis humanæ animæ. Et hanc potentiam usitatè nominant morganicam. Etsi enim in hac uita sensus interiores ei seruiunt, & obiecta offerunt, tamen cum anima discedens à corpore suam quandam habeat actionem, & suos motus, dicitur morganica.

Duæ sunt potentiæ in hac summa parte, ut sic dicam: Intellectus & uoluntas. Retineo enim usitatas adpellationes & distributiones. Augustinus ut monstret imaginem Dei in Anima, tres uires nominat, Memoriam, Intellectum, & uoluntatem. Sed de imagine Dei postea dicam. Etsi autẽ postea magis perspicuum erit, quare necesse sit discerni intellectum & uoluntatem, seu potentiam cognoscentem & appetentem, tamen nunc quoq; in uestibulo, iuniores de utilitate huius discriminis admonendi sunt. Aliud esse noticias, aliud serias appetitiones

petitiones, sciri necesse est, ut in Pompeio noticia est Iulij. Et hæc manet eadem ante bellum, & in bello. Sed prius beneuolentia erat in uoluntate, postea accenditur odium. Sunt igitur res diuersæ noticia & adfectus, & sedes aliæ utcunq; constituendæ sunt, quæ quidem in organis coniunctis animæ sic ostenduntur. Cum potentia cognoscente copulati sunt sensus interiores. At cum potentia sentiente uolente copulatio cordis est. Noticia igitur Iulij est in cerebro. Sed beneuolentia & odium sunt in corde.

Huius discriminis consideratio illustrat et Pauli dictum in primo capite Epistolæ ad Romanos, ubi inquit, homines ueritatem in iniusticia captiuam detinere. Obscura oratio est ignaris huius doctrinæ, de discrimine potentiarum. Nominat autem ueritatem noticias ueras de Deo & de lege. Hi radij sapientiæ Dei lucent in potentia cognoscente, ut in Pompeio noticia est Iulij. Sed nec in uoluntate, nec in corde sunt motus & flammæ congruentes cum lege Dei. Hæc ut aliquo modo intelligi possint, necesse est aspici hominis naturam & uires dissimiles.

Hinc & argumentorum solutio sumitur.

Naturalia maximè possibilia sunt huic naturæ, cuius sunt propria.

Lex maximè secundum naturam est.
Est igitur possibilis.

Primum ad maiorem respondendum est, naturalia possibilia esse naturæ integræ, non depravatæ.

Deinde cum rursus obijcitur, adhuc nobiscum nasci legis noticias, etiam in hac deprauata natura. Hîc potentiarum discrimen intuendum est. In potentia cognoscente noticia legis nobiscum nascitur, sicut numerorum intellectus. At in uoluntate & corde contumacia est.

Iam hîc magnitudo humanæ infirmitatis deploranda est, cum tantum dissidium esse duarum summarum uirium & cognatarum cernimus. Deinde & consilium Dei considerandum est, cur noticiam legis in nobis reliquam esse uoluerit, & qualis sit in uoluntate libertas. Noticia manet, ut sit de Deo testimonium, & ut arguat peccatum. Præterea ut sit rectrix externæ disciplinæ. Nam hic gradus libertatis manet. Imperare ratio loco motiuæ potest, quæ externas actiones ciet. Manet etiam in corde uindex scelerum, horribilis dolor, qui post delictum, sequitur potentiæ cognoscentis iudicium. Vult enim Deus & discrimen honestorum & turpium conspici, & destrui naturam, lege quasi

iudicis

iudicis æterni ſententia oppreſſam. Harum maximarum rerum doctrina multo fit illuſtrior, ordinè conſideratis potentijs, & ſingularum actionibus. Et cum in hac materia aſpici partes hominis neceſſe ſit, ualde utilis eſt hæc collatio phyſices ad doctrinam Eccleſiæ.

Addo & alterius argumenti explicationem.

Naturalia ſunt immutabilia.

Leges diuinæ quæ ſunt in decalogo omnibus propoſitæ, ſunt mutatæ, ut, contra primam tabulam horrendis furoribus multa numina conficta ſunt, & contra ſecundam tabulam permiſſæ pactiones de adulterijs apud Lacedæmonios, & apud multas gentes homicidia gladiatorum permiſſa ſunt.

Ergo leges illæ diuinæ non ſunt naturales.

Reſponſio. Nego minorem. Leges enim illæ non ſunt mutatæ, quod ad partem cognoſcentem attinet. Vt enim noticia numerorum ſemper lucet in mentibus humanis, ita manet uera noticia, unicum uerum Deum inuocandum eſſe: Non fingendos eſſe multos Deos: Non interficiendum eſſe hominem innocentem per ludum: Non adprobandas eſſe uagas libidines. Etſi autem in hac caligine humana, minus clarè fulget hæc lux in mentibus hu-

manis, tamen non prorsus extingui potest. Ideo uiri sapientes, ut Xenophon, Aristoteles, Cicero, turbam deorum improbârunt.

Sed hîc agnoscamus & deploremus infirmitatem nostram, quòd etiam contra iudicium in potentia cognoscente, ruunt uoluntas & cor in tetra scelera, ut inquit Medea: Video meliora proboq;, deteriora sequor.

Voluntas in Romanis, gladiatorum cedes recepit, contra iudicium mentis. Potest enim uoluntas repugnare recto iudicio.

Accedit huc etiam, quòd diaboli & corda impellunt, & mentibus inserunt furores, ut etiam caligo in parte cognoscente iudicium obruat, sicut alioqui multi fiunt furiosi, & furoribus incitati sæuiunt in sese & in suos, ut Hercules interficit coniugem et filios. Et in historia Xanthiorum mater suspendit se de tecto, gerens suspensum filium de collo suo, & tenens facem, qua ædes inflammabat. Et in hac ripa Albis, ante bellum Saxonicum mater in puerperio furens duos infantes ex ipsa natos interfecit. Aliquanto ante, Basileæ maritus grauidam coniugem gladio transfodit, postea sese de fastigio ædium præcipitem deiecit.

Nec

Nec propter talia facta lux naturalis in his ipsis, ac multo minus in alijs sanis extincta est. Sed diaboli uiolenter impellunt desertam à Deo naturam. Ac talia exempla commonefaciunt nos, ut petamus à filio Dei gubernationem, qui uenit, ut destruat opera diaboli, ne lux iudicij obscuretur in nobis, & ne corda impellantur, ut ruant contra uoluntatem Dei. Quare & in quotidiana precatione dicimus: Ne inducas nos in tentationem. Et Dominus inquit: Orate, ne intretis in tentationem.

Horum & similium argumentorum explicatio de rebus grauißimis, ostendit utilitatem huius doctrinæ. Ac multa sequentur alia, quæ etiam aliquid lucis adferent ad intelligendam Ecclesiæ doctrinã. Vt cum dicitur Filius Dei λόγος, esse imago æterni Patris, & cum discrimen inter λόγον καὶ πνεῦμα utcunq; ostenditur, prodest nosse potentiarum discrimen. Redeo igitur ad præcepta.

O φ philosophothneologon.

Quid est Intellectus?

Est potentia cognoscens, recordans, iudicans & ratiocinans singularia & uniuersalia, habens insitas quasdam noticias nobiscum nascentes, seu principia magnarum artium, habens & actum

reflexum, quo suas actiones cernit & iudicat, & errata emendare potest.

Hæc definitio ostendit discrimen inter sensus et Intellectum, & inter brutorum & hominũ cognitiones.

Sunt autem differentiæ Tres.

I. Prima. Sensus tantum uersatur circa singularia, nec adprehendit, nec componit uniuersalia.

II. Secunda. Sensus nullas habet innatas noticias, ut pecudes non possunt numerare.

III. Tertia. Nulli sensus, nulla bruta habent actus reflexos. Apes extruunt mira opera, sed hanc ipsam Architectonicen non iudicant.

Quæ sunt actiones intellectus?

His uerbis usitatè numerantur tres actiones. Simplicium apprehensio, Compositio & diuisio, ac Discursus. Si cui hæ adpellationes uidentur obscuræ, numeret hoc modo.

Actiones, adhominẽ.

- Simplicium cognitio,
- Numeratio,
- Compositio & diuisio,
- Ratiocinatio,
- Memoria &,
- Iudicium, quo & iuxta communes normas, quæ adpellantur κριτήρια, agnoscuntur ueræ propo-

propositiones, & consequentiæ rectè cohærentes, & falsæ propositiones & non cohærentia membra reijciuntur. Nam hos gradus addi necesse est.

Quòd etiam uulgo discernuntur sensus & intellectus his uerbis: Sensus est singularium, Intellectus uniuersalium, id dictum nequaquam excludiuè intelligendum est, quasi intellectus tantum sit uniuersalium. Quanquam autem sensus tantum singularia obiecta arripit, tamen intellectus cernit, componit, diuidit, & iudicat utraq;, singularia & uniuersalia. Huius nostræ sententiæ perspicua confirmatio sumi potest ex numeratione, quæ proprijssima est huius summæ potentiæ intelligentis, non sensus, progreditur autem numeratio ab unitate & singulari ad multa. Est & condita mens humana ad agnitionem unius Dei, ut lex diuina inquit: Diliges dominum Deum tuum. Item diliges proximum. Necesse est igitur hæc singularia mente cerni posse. Reijciantur ergo insulsæ & fatuæ interpretationes eorum, qui finxerunt, intellectum tantum esse uniuersalium.

Quod est obiectum intellectus?

Ens quàm latè patet, hoc est, Deus & tota rerum uniuersitas est obiectum intellectus, ad cuius agnitionem

agnitionem conditi sumus, Vt manifestè testatur Lex diuina, Diligas dominum Deum tuum &c. Et fuit hæc lux ante naturæ humanæ deprauationem illustrior, postea caligo secuta est, quare Deum & spirituales naturas & corporum substantiam minus intelligimus, sed utcunq; eas à posteriori ratiocinando agnoscimus obscurè & tenuiter.

Quanquam igitur non eodem modo cernimus omnia, tamen rectè dicitur, Ens quàm latè patet, obiectum esse intellectus, id est, Deum et totam rerum uniuersitatem, quia ad hæc omnia aspicienda conditi sumus.

Etsi autem non omnis cognitio in mente humana à sensu oritur, ut numeri & multa principia, tamen ideo conditi sunt sensus, ut rerum, quæ foris sunt, simulachra ad intellectum transmittant, & sint nuncij mentis, & testes experientiæ, imo etiam ut excitent intellectum ad aspectionem rerum, quæ extra eum sunt, ut hos quoq; intuens, componat, diuidat, quærat uniuersalia, iudicet, aspiciat κριτήρια, & emendet errata.

De hoc externo obiecto excitante intellectum in hac nostra infirmitate rectè dicitur, obiectum esse, res omnes quæ sensibus percipiuntur. Inde enim

enim procedit intellectus sua ui ad alia, ut ex signis proceditur ad causas, ex accidentibus ad substantiarum agnitionem qualemcunq;. Hac mediocri declaratione contenti simus in hac quæstione involuta multis labyrinthis.

Est ne uerum dictum, noticias aliquas nobiscum nasci?

Vetus contentio est inter Aristotelicos & Platonicos, an sint aliquæ in mentibus noticiæ nobiscum natæ? Sed simplicius & rectius est retinere hanc sententiam, esse aliquas noticias in mente humana, quæ nobiscum natæ sunt, ut numeros, ordinis & proportionum agnitionem, intellectum consequentiæ in syllogismo. Item principia geometrica, physica, & Moralia.

Hanc sententiam etiam propter Paulum amplector, qui expreßè inquit, legem scriptam esse in cordibus hominum, ubi de noticia loquitur. Vt igitur lumen est in oculis, quo fit uisio: Ita in mentibus lux quædam est, qua numeramus, agnoscimus principia artium, discernimus honesta & turpia. Hanc lucem esse noticias diuinitus sparsas in mentibus nostris, rectè dicitur, quæ qualis lux sit, tunc cernemus, cum archetypum Deum intuebimur.

Interea

Interea procul considerantes, tamen sciamus has æternas noticias illustria de Deo & de prouidentia testimonia esse, mirando consilio Dei in hominesparsa. Manifestum est enim, non casu durare in toto genere humano hanc æternam & immortam sapientiam, numeros, & discrimen honestorum & turpium.

Etiam si Deus impressit multa uestigia uniuerso mundi opificio, quæ uult esse commonefactiones, quæ ostendant, hunc mundum non extitisse casu, sed esse mentem sapientem, bonam, iustam, ueracem, castam, & liberam, architectatricem, tamen illa raciocinatio fieri non posset, nisi prius fulgerent in mentibus nostris multæ noticiæ, distinctio unitatis, & multitudinis, distinctio naturæ sapientis & bonæ, à bruta & mala natura, et aliæ multæ. Imo aliquam etiam Dei noticiam inter has fulgere in nobis oportet, ut ad eam accommodari signa possint.

Sed hæc prolixius disputare nolo, ac potius oro ipsum Deum conditorem, ut postquam accessit caligo in nobis propter peccatum, rursus accendat ipse noticias à se donatas, ut fiant illustriores & firmiores.

Nec turbemur uulgari dicto, Nihil est in intellectu,

lectu, quin prius fuerit in sensu. Id enim nisi dextrè intelligeretur, ualdè absurdum esset. Nam uniuersales noticiæ & dijudicatio non prius fuerunt in sensu.

Sed fatendum est, sensuum actione & singularibus obiectis moueri & excitari intellectum, ut procedat ad raciocinanda uniuersalia, & ad iudicandum.

Quid est Noticia?

Noticia aliàs significat actionem, aliàs habitum, hoc est, durabile quoddam lumen, ut sic dicam, in mente, quo utimur cum uolumus, ut ars est lumen durabile. Sed loquamur de actione. Noticia est mentis actio, qua rem adspicit, quasi formans Imaginem rei, quam cogitat. Nec aliud sunt imagines illæ seu ideæ, nisi actus intelligendi. Nec huius admirandæ actionis alia potest tradi illustrior descriptio, quàm quòd sit formatio imaginis.

Sæpè autem iam dictum est, copulatum esse intellectum cum sensibus interioribus. Postquam sensus exterior accepit species sensibiles, ut oculi Leonis et cerui, transmittunt eas ad sensus interiores. Ibi cerebri motu & spiritibus formantur cogitationes, quæ sunt imagines rerũ, quæ cogitantur seu

seu aſpiciuntur. Eodem modo & mente pingimus imagines, ut unuſquiſq; cogitans ſuos parentes, in ea ipſa actione format eorum imagines. Architectus cogitans domum pingit imaginem eius, & de ea iudicat. Tantum propemodum dici poteſt, cum quærimus, quid ſit noticia. Mirando autem conſilio Deus noticias uoluit eſſe imagines, quia in nobis umbras eſſe uoluit ſignificantes aliquid de ipſo. Aeternus Pater ſeſe intuens gignit filium cogitando, qui eſt imago æterni Patris. Sed de his ſignificationibus infra rurſus dicemus.

Noticia intuitiua.

Nunc uſitatas appellationes recitabo. Noticia intuitiua dicitur, cum cognitio rei præſentis ſimul per ſenſum & mentem accipitur, quare tantum eſt ſingularium, ut cum oculi & mens ſimul aſpiciunt picturam in pariete. Et quia hic gradus noticiarum maximè illuſtris eſt, uetuſtas dixit noticias intuitiuas ſimiles eſſe definitionum. Vt definitio magis perſpicua Abſynthij dari non poteſt, quàm cum oculis cernis colorem, & figuram, & guſtas lingua ſaporem.

Abſtractiua noticia.

Abſtractiua noticia nominatur, qua abſentia cogitamus, ut cogitamus abſentes amicos. Nam memoria in cerebro eſt tanquam cella, in quam uelut

uelut ſigilla imaginum, quas formauit cogitatio, impreſſa ſunt, quas aſpicit mens quoties uult. Eſt & ſua memoria in racionali anima inorganica. Sunt autem abſtractiuæ noticiæ uniuerſalium, & raciocinationum, & aliorum quæ non immediatè ſenſu accipiuntur.

Iam hæc conſideratio ad dialecticos pertinet, ubi à priori, ubi à poſteriori, ubi à cauſis, ubi ab effectibus aut ſignis raciocinatio progrediatur.

Alia diuiſio Intellectus.

Vt uocabula quædam uſitata interpretemur, adijcienda eſt & alia diuiſio, qua diſcernunt Intellectum ſpeculatiuum & practicum. Sciendum eſt autem, hac diuiſione non ſignificari diuerſas potentias, ſed unicam potentiam intelligentem circa diuerſa obiecta uerſantem, aliàs circa ſpeculabilia, aliàs circa deliberationes de actionibus, ut ijdem oculi cernunt colorem & figuram. Poterant & plures tales differentiæ obiectorum addi, ut Mechanicus intellectus in Architecto. Hæc breuiter adſcripſi, ut iuniores uarietatem adpellationũ conſiderent, & eas rectè interpretentur.

Variè uſurpatum eſt & uocabulum Rationis. Interdum ſignificat utranq; partem, intellectum

gubernantem & uoluntatem obtemperantem, ac frenantem contrarios impetus. Ita Platonici coniunctas duas potentias, intellectum rectè iudicantem, & uoluntatem obtemperantem, nominant ἡγεμονικόν. Aristoteli plærunq; λόγος significat noticiam gubernantem, ut cum ait in primo libro Ethicorum: Ratio hortatur ad optima, id est, naturalis noticia, quæ est radius diuinæ sapientiæ insitus menti humanæ. Interdum non potentiam, sed argumentum significat. Vt, sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas. De hac diuersitate longæ descriptiones à multis traduntur, quæ tamen facile dijudicari potest, si quis sit admonitus, uarios esse usus uocabuli.

Λόγος apud Aristotelem quid sit.

Conscientia est totum argumentum seu iudicium in mente seu potentia cognoscente, quo rectè facta adprobamus, & delicta improbamus, quod iudicium ordine diuinitus sancito, sequitur in rectè factis tranquillitas cordis, & in delictis dolor cordis, puniens & destruens reum delicti.

Descriptio Conscientiæ.

Condita est enim hominum natura à Deo, ut & conformis esset Deo, & uiueret, non ut dolore extingueretur. Quare si esset conformis Deo, & corda congruerent cum recto iudicio, lætarentur benefaciendo ante factum & post factum.

Nunc

Nunc uerò in hac prauitate cor ante delictum ardet suis flammis pugnantibus cum recto iudicio, nec formidat scelus. Quia uerò iusticiæ Dei est, destruere naturam non obedientem, ideo sanxit hunc ordinem, ut dolor tanquam carnifex post factum puniat & destruat reos. Etsi autem hic dolor in malis aliquantisper hebes est, tamen tandem fit seuus & extinguit eos, quia lex est iudicium Dei. Et accedit ad naturalem dolorem, perterrefactio, qua Deus ipse ceu fulmine opprimit sontes, ut in Psalmo dicitur: In ira tua turbabis eos, Imple facies eorum ignominia. Item: Sicut leo, contriuit omnia ossa mea. Ita sciendum est, causas doloris plures esse, scilicet aliàs naturæ ordinem, aliàs Deum etiam immediatè effundentem iram suam, ut in Iuda & similibus. Hæc de causis dolorum in conscientia considerare utile est.

Vsitatum est apud Theologos nomẽ συντήρησις, quo intelligunt noticiã legis, quæ nobiscum nascitur, quam ideo nominant συντήρησιν, quia semper in homine etiam scelerato seruet admonitionem ostendentem, quid rectum sit, & quod sit iudicium Dei. Et aliqui sic discernunt hæc uocabula, dicunt in syllogismo practico conscientiam ponere Minorem & conclusionem, Maiorem uerò esse συντή-

In syllogi. ſmo maiorē συντήρη. σιν.

ρησιν, ut Saul quanquam ſceleratus, tamen ita ratiocinatur. Deus horribiliter iraſcitur homicidis, qui homines innocentes interficiunt, et uiciſſim tales homicidas rapit ad pœnas. Ego ſacerdotes innocentes multos interfeci. Deus igitur mihi iraſcitur, & me puniet. In tali ſyllogiſmo maiorem nominant συντήρησιν, conſcientiam uerò minorem & concluſionem. Paulus totum ſyllogiſmum nominat conſcientiam. Hanc breuem admonitionem de his adpellationibus inſerui, de quibus alij multas peregrinas quæſtiones mouent, quæ his imitijs cognitis facilè iudicari poſſunt.

De Intellectu Agente & Patiente.

Etſi magnæ ſunt contentiones de Intellectu Agente & patiente, tamen ſi ſumimus ab actionibus diſcrimen, ſimplex & perſpicua eſt hæc explicatio.

Oculi incolumes plurimorum intuentes aliquid pariter id uident. At mentes etiam cum idem quærunt, tamen non pariter inueniunt. Inuenta pariter intelligere poſſunt, cum declarantur, ut rationem adparandi pulueris tormentarij, et iaculandi globos inuenire nemo potuit, præter autorem: Inuentam intelligunt & probant alij artifices.

Diſcernit

Discernit igitur Aristoteles duo officia intellectus, sunt enim plura officia Intellectus, quàm oculorum, qui tantum accipiunt obiecta singularia, nihil ratiocinantur. At intellectus cum accepit obiecta, componit, diuidit, ratiocinatur, iudicat. In hac raciocinatione aliud ex alio inuenit. Hic inuentor intellectus, & tanquam poëta, dicitur Agens, seu rectius faciens.

Alterum officium est postea inuenta intelligere, agnoscere, & tanquam dictata accipere. Ab hoc officio nominatur intellectus patiens. Vidit Aristoteles in omni uita, in artibus, in consilijs publicis & priuatis, in stratagematibus, in poëtica, in Eloquentia, alios alijs perspicaciores esse, et inuentione plus ualere: Alios inuenta intelligere, & suis cogitationibus anteferre, ut Themistocles suadens, ut ciues relicta urbe naues ingrediantur, plus ualet intellectu faciente, quàm alij, sed cœteri intelligunt consilium & adprobant.

Hannibal intercluſus à Fabio mira arte patefecit sibi exitum. Boum cornibus alligauit sarmenta incensa, ut exercitui Romano errorem obijcerent. Id non uenisset cuilibet in mentem, etiamsi inuentum cœteri intelligunt & probant.

Cum Alexandro in aditu Asiæ nunciaretur,

fudaſſe Orphei ſtatuam, idq; uideretur quibuſdam triſte omen, Alexander contrà inquit, placere ſibi omen, facturum ſe magnum laborem Poëtis. Huius dicti urbanitatem intelligebant cœteri, qui tamen etiam diu quærentes non inueniſſent.

Cum autem ingens decus ſit in omni uita, Recta inuentio ſeu conſilij, ſeu doctrinæ, & maximas res gubernet, meritò ampliſſimis laudibus Ariſtoteles hunc inuentorem intellectum ornat.

Vt lumen oculos adiuuat, ita ait intellectum patientem ab inuentore adiuuari. Neceſſe eſt enim nos aut inuenire ipſos conſilia, aut aliorum inuentis, tanquam dictatis uti.

Hunc ait abſtrahere à phantaſmatibus. Id eſt, hic celeriter obiecta confert, ſigna quærit, ex ſignis cauſas aut effectus, collationes, alluſiones, & inde eligit quod eſt aptiſſimum. Vt cum Demades inquit: Mortuo Alexandro, exercitum eius ſimilem fore Cyclopi effoſſo oculo, celerrimam collationem fecit magni exercitus amiſſo Duce, ad magnum corpus Cyclopis, amiſſo oculo.

Præterea inquit Ariſtoteles, hunc inuentorem intellectum uelut Artem eſſe, alterum ut materiam, quam

am, quam format & expolit artifex, ut præceptor format ac erudit discipulum.

Addit etiam esse separabilem, non mixtum, non obnoxium læsioni seu ἀπαθῆ, quæ aliqui interpretantur de immortalitate. Nec ego repugno. Et malim de immortalitate intelligi, præsertim cum alibi dicat Aristoteles: Mens extrinsecus accedit. Hæc enim uerba eius sunt in secundo de generatione, Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Inclinat enim eò, ut mentem existimet cœlestem quandam facem esse, quæ lucem cerebro præbeat, sed qualis sit, quò duolet, non explicat in his libris, quos habemus.

Quæcunq; autem fuit Aristotelis sententia de faciente intellectu & patiente, certè actiones rectè distinximus, inuenire, & accipere dictata. Harum actionum cum perspicua sint discrimina, contentus sum hac populari enarratione, quæ intelligi potest, & deducit lectorem ad considerationem dissimilium in intellectu actionum. Longè perspicacior est intellectus inuentor in Archimede, quam in alio uulgari architecto.

Vidi aliorum enarrationes, quæ existimantur esse subtiliores, sed somnia sunt inania, nec intelligi possunt.

Etsi autem Auerrois diuinatio deridetur, & fortaßis ab Aristotele aliena est, tamen si dextrè intelligitur, non est absurda. Cum enim ait, facientem intellectum esse ipsum Deum, cientem excellentiores motus in hominibus, uerè dicit, excellentes & salutares cogitationes à Deo ipso monstrari & regi, ut Salomon inquit, ut oculus uideat, & auris audiat, Deus facit utrunq;. Et uerè inquit Cicero: Nulla excellens uirtus sine adflatu diuino est. Scipionem flectebat Deus ad consilium trajiciendi in Africam, etiamsi dissentiebant Fabius & alij senes.

Quæ sunt causæ certitudinis doctrinarum?

Deus uult aliquas esse certas noticias, quæ & monstrent ipsum, & sint normæ gubernationis in uita hominum, ut uult Deus certo sciri, unam esse diuinam essentiam conditricem rerum, sapientem, ueracem, liberrimam, beneficam, iustam, castam, iudicem hominum, punientem scelera. Vult nequaquam recipi Epicureas opiniones, uult nequaquam fingi turbam deorum: Vult deinde has noticias firmißimas esse, quæ regunt uitam: Non occidas innocentem, Non sis mendax in dicendo testimonio, in pactis, Non rapias alterius coniugem aut facultates.

cultates. Vult firmas esse noticias numerorum, ut intelligamus unum esse Deum, non innumerabiles, & ut in tota uita discernamus unum, et multa, & ordinem considerare possimus. Vult in physicis certo intelligi discrimina caloris, frigoris, humoris, siccitatis, grauium corporum, & leuium, quia uita hominum conseruari non potest, nisi hæc discernantur. Omitto plura exempla, ac tantum obtestor discentes propter gloriam Dei, qui ueritatem & amat, & nobis præcipit, ut ueras sententias discant, & agnitam ueritatem constanter amplectantur, & deinde iuxta uoluntatem Dei, transferant eam ad usum, ut cum certum sit corpora humana non posse sine cibo, potu, somno retinere uitam, his rebus iusto modo utaris, & agnoscas ordinem diuinitus ita institutum, & quia dat hæc bona, celebres eum grata mente & prædicatione. Ita cum noticiæ certæ sint, Non occides, Non mœchaberis, agnosce hunc ordinem diuinitus sancitum & obtempera, non quæras Pyrrhonio more cauillationes ad conturbandas certas noticias.

Copiosè autem in dialecticis dicitur de normis certitudinis, quas græci nominant κριτήρια. Hîc tantum obiter iuniores commonefacio, ut magis considerent, qualis sit naturalis lux in intellectu,

& quæ sit iudicij regula, & unde sit adsensionis firmitas.

κριτήρια ἐν φιλοσοφία.

Sunt igitur normæ certitudinis iuxta philosophiam tres, Experientia uniuersalis, Noticiæ principiorum, & intellectus ordinis in syllogismo.

Α. κριτήριον.

Experientia uniuersalis est, cum de ijs quæ sensu percipiuntur, omnes sani eodem modo iudicant. ut ignem esse calidum, Fœminam parere. In uita animantium, sensum & motum esse. Mortem destructionem esse animantium. Ostendit autem uniuersalis experientia, noticiam esse certam, quia si oppositum in usu uelis experiri, sequitur naturæ destructio, ut, si quis negans ignem urere, manum inferat flammis, sentiet certè eam absumi. Fatendum est igitur naturam sic conditam esse, & tale esse opus Dei. Nec alia demonstratio longior quærenda est. Et dissentire ab uniuersali experientia est ipsi Deo bellum inferre, & negare hunc ordinem à Deo sanctum esse, ut si quis neget fœminam parere, & conetur sculpere uiuos homines.

Β. κριτήριον ὅτι.

Principia sunt noticiæ nobiscum nascentes, quæ sunt semina singularum artium diuinitus insita nobis, ut inde Artes extruantur, quarum usus in uita necessarius est, ut noticia Numerorum, ordinis, proportio-

proportionum, & multarum propositionum. Quodlibet est, aut non est. Totum est maius qualibet sua parte. Deus est mens æterna, sapiens, uerax, iusta, casta, benefica, conditrix mundi, seruans rerum ordinem, & puniens scelera. Mens humana ad hanc similitudinem condita est. Sit igitur homo uerax, iustus, beneficus, castus. Huic normæ obtemperare est rectè facere. Discedere ab hac norma, est facere Deo displicentia & turpia, Et discedens accersit sibi pœnas. Plura de principijs dicuntur in dialecticis.

Tertium κριτήριον est intellectus ordinis in syllogysmo, rectè coagmentatis membis, ut latius in dialecticis dicitur. In doctrina Stoica nominantur κριτήρια, his tribus uocabulis, αἴσθησις, πρόληψις, & γνῶσις. Nec dubium est intelligi experientiam, cum nominant αἴσθησιν, Et principia, cum nominant πρόληψιν. Erit igitur γνῶσις iudicium, id est, intellectus ordinis seu consequentiæ, seu connexionis.

In Ecclesia habemus & quartam Normam certitudinis, uidelicet, patefactionem diuinam, illustribus & non fallentibus testimonijs factam, quæ extat in libris propheticis & Apostolicis. Etsi autem facilius

facilius & firmius adsentitur mens humana ijs, quæ luce naturali cernit, tamen simili constantia omnes creaturas racionales adsentiri oportebat sententijs à Deo *patefactis, etiamsi luce naturali non uidemus esse ueras & firmas.* Vt *sine dubitatione adseueramus, bis* 4. *esse* 8: Ita *statuendum est,* Deum *excitaturum esse homines mortuos, & Ecclesiam ornaturum æterna gloria, et impios abiecturum in æternas pœnas. Sed multi audacissimè repugnant diuinis oraculis, ut* Epicurei *& alij. Pars tamen aliqua generis humani adsentitur, testimonijs miraculorum mota, in qua uoce Euangelij* Spiritus *sanctus hanc lucem accendit, & flectit mentem ad adsentiendum, & mens obtemperat Spiritui sancto, amplectitur uocem* Euangelij, *& repugnat dubitationi.* Et *hæc adsensio, quæ amplectitur sententias à* Deo *patefactas, dicitur* Fides, *quæ quidem in alijs languidior, in alijs firmior est. Nec leue beneficium* Dei *esse ducamus, quòd ex illa sua arcana sede prodijt, et se nobis patefecit, & ea patefactione testatus est, sibi uerè genus humanum curæ esse. Sit igitur patefactio illa præcipuum uitæ lumen, & gubernet omnes actiones & omnia consilia. Et in quotidiana inuocatione cogitemus testimonia patefactionum, ut fides accendatur, & grati bonitatem* Dei *agnoscamus & celebremus.*

Hîc

Hîc etiam ualde prodeſt conſiderare diſcrimen. Quædam uoce Dei tradita ſunt, quæ etiam naturæ notæ ſunt, ut præcepta Decalogi. Sed uoluit Deus accedere uocem ſuam, ut oſtenderet illas ipſas noticias naturales à ſeſe mentibus noſtris inditas eſſe, & legem nouo teſtimonio ſanciret. Grata eſt autem bonæ menti confirmatio ueritatis, ubi intelligit ad naturalem noticiam acceßiſſe diuinam uocem. Ratio deprehendit terram ſtare immotam, & ſolem moueri. Sed cum idem diuinitus traditum eſſe audimus, firmius adſentimur.

Sunt autem aliæ quædam ſententiæ diuinitus traditæ, quæ antea prorſus ignotæ fuerant omnibus creaturis, ut uox Euangelij de filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, de reconciliatione, de præmijs & pœnis æternis. Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Qui autem non credit Filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet aduerſus eum. Viuo ego, Dicit Dominus. Nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Crediţo tibi ipſi certo remitti peccata propter Filium Dei, crede propter Filium Dei tuos gemitus, tuas preces à Deo recipi. Hæc firma adſenſione amplectenda ſunt. Et adſenſionis cauſa ſit autoritas diuina, quæ hæ ſententiæ nobis traditæ ſunt & confirmatæ il-

luſtribus

lustribus testimonijs, ut resuscitatione mortuorum, & alijs. Mens igitur cogitans, cur hæ sententiæ immotæ sint, intueatur autorem Deum, qui se sic agnosci & inuocari uult, sicut se patefecit. Nec uult nos humana audacia ludere opinionibus de se, ut luserunt Ethnici, aut Philosophi.

Hæc breuiter recitaui de causis certitudinis doctrinarum, quia hæc consideratio & modum intellectionis illustrat, & ostendit, unde sit firmitas noticiarum. Necessaria est autẽ in tota uita hominum hæc diligentia, discernendi noticias certas ab incertis, sæpè enim accersunt homines sibi & alijs magnas calamitates, cum adsentiuntur falsis aut incertis, quæ putant esse uera & firma. Vt, Antonius ex causis non sufficientibus raciocinatur, se posse toto imperio potiri, quia sit peritior imperator, quàm Octauius, & habeat exercitus maiores. Non sequitur autem necessaria consequentia, futurum esse uictorem eum, qui est peritior, & habet maiores exercitus, quia multa impedimenta etiam cauto duci obijci possunt. Et Deus est præcipua causa, gubernans euentus. Tales errores in uita multi sunt, etiam sapientum, & sæpe magnarum calamitatum causæ sunt. Hæc admonitio in multis dictis proponitur. Vt μάταιοι μάταια λογίζον-

ται

ται διὰ ἐπιθυμίας. Et Theognis inquit. πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι. Quantum igitur fieri poteſt, certa quæramus, ac præcipuè in conſilijs uitæ ſequamur normam Diuinam, et mentes et euentus à Deo regi petamus, ſicut ſæpè præcipit Deus, ut, Deute. ſexto. Facito præcepta Domini Dei tui, ut bene ſit tibi.

DE VOLVNTATE.

Initio iuniores monendi ſunt de uſu uocabuli. Vetus latina lingua uoluntatem non intelligit potentiam, ſed actionem, ſeu ipſum uelle, ut, cum dico. In inuido eſt uoluntas nocendi, id eſt, Inuidus uult nocere. Sic dicitur, Sic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas, id eſt, ipſum uelle. Sed in hoc Ariſtotelico ſermone, uoluntatem nominamus potentiam, ſeu, ut ita dicam, partem Animæ intellectiuæ appetentem, quæ potentia ſuperior eſt appetitu ſenſuum. Res ipſa enim oſtendit, gradus eſſe appetitionum, ut ſitiens in febribus, appetitu ſenſuum ualdè appetit potum. Sed uoluntas ſuperior potentia oſtenſo periculo, decernit non eſſe bibendum. Ita Scipio decernit, præſtandam eſſe continentiam adducta captiua nobili, cuius erat excellens forma.

Sit

Simulationes sunt actiones, non imperatæ, rarae.

Præterea simulationes omnes sunt actiones Imperatæ, ut in falsa pœnitentia sunt ficticij dolores, cum adulter impius simulat pœnitentiam.

Quod est obiectum uoluntatis?

Vt obiectum Intellectus esset Ens quàm latè patet, Deus & rerum uniuersitas, si hominis natura integra esset: Ita uoluntatis idem esset obiectum, & inter appetenda & amanda summum esset Deus, ut testatur lex diuina: Diligas Deum ex toto corde. Ideo condidit Deus creaturas rationales, ut essent aliæ naturæ, quibus suam sapientiam & bonitatem communicaret, quia bonum est κοινωνικόν. Itaq; sicut Sol lucem & calorem in hoc aëre spargit, ita Deus in mentes nostras sparsisset λόγον & Spiritum sanctum. Ac λόγος monstrasset patrem, et multiplici sapientia mentes illustrasset, uoluntates autem & corda copulasset Spiritus sanctus æterno patri, mutuo amore, lætitia, et motibus congruentibus cum natura Dei. Talis fuisset sapientia & uita hominis, congruens cum sapientia & uita Dei. Et hæc bona amissa in lapsu, per Euangelium restituuntur, ut postea dicam. Ac rursus erit Deus omnia in omnibus beatis, ut infra de Imagine dicam. Fuisset igitur amor ordinatus,

Bona nat. rat. amissa in lapsu per Euang. restituuntur.

Ante omnia maximum incendiũ amoris fuisset erga Deum, deinde res bonas cœteras amassemus eo ordine, quem monstrat diuina sapientia, uirtutes, uitã, uitæ commoda propter Deum expetiuissemus & agnouisset homo, se in usu legitimo harum rerum Deo seruire, & Deum conditorem celebrasset.

Ac nunc cum similes sumus illi uiatori uulnerato & spoliato, & in mente tenebræ sunt, id est, multæ tristes dubitationes de Deo, & non est in cordibus amor Dei, uoluntas alia obiecta quærit, nõ Deum, ac horum ordo etiam conturbatur. Summum bonum esse uoluptates corporis, non Epicurus tantum, sed maxima multitudo hominum existimat. Alij modestiores dicunt uirtutem melius quiddam esse. Nec hi tamen uirtutem propter Deum adpetendam esse docent. Ita amissa luce mentis, & extincto amore Dei in uoluntate, Philosophi à ueritate aberrant, ut alibi copiosius dicitur. Luc. 10.

Vt autem consideremus, qualis nunc sit natura hominum, & quæ sint discrimina philosophiæ & Euangelij, recitabimus & quæ nunc sint obiecta, & ad quæ nos retrahat filius Dei.

Primum autem perspicuè reijcio & improbo

stultam opinionem recentium quorundam, qui negant, Bonum esse obiectum uoluntatis in adpetendo, & contendunt, uoluntatem uerè & sine simulatione uelle posse malum nulla ratione boni. Ac multæ sunt uerè causæ, propter quas hoc somnium reijciendum est, quas breuitatis causa non recito, tantum oro iuniores, ut monstrosam illam opinionem detestentur. Etsi enim est aliqua uoluntatis libertas, tamen sic ordinata est, ut uelit bonum. Hoc si quis non admittit, euertet totam rationem finium, nec magis causa erit, cur uoluntas acquiescat in Deo, quàm in tauro Phalaridis. Item, si uoluntas non esset ordinata ad appetendum bonum, non esset causa, cur magis adpetere uirtutem deberet, quàm uicia. Sed omitto confutationem, & breuiter constituo obiectum mouens uoluntatem in hac infirmitate, & in ijs, qui non gubernantur luce Euangelij & à Spiritu sancto.

His igitur, ut Catoni aut Ciceroni obiectum est uoluntatis in adpetendo, Bonum finitum, quatenus ratio aut sensus decernit, id esse bonum humanæ naturæ aut societati. Rursus in fugiendo, Malum contrarium illi bono, obiectum erit. Hinc iudicari potest, quousq; humanæ adpetitiones sine Spiritu sancto progrediantur.

Sunt

Sunt autem huius boni ſpecies: Honeſtum ciuile, Bona utilia, uita & uitæ commoda. Item, lucundum, ut uoluptates, quas aut ſenſus, aut ratio expetit. Intra hanc bonorum regiònem uerſantur appetitiones. Vt, doctrinam expetimus, eſt enim quædam mentis perfectio & lux, & cum in hoc tam pulcrum theatrum ad contemplationem cœli, ſtellarum, terræ, plantarum, animantium, collocatiſimus, & ſint in nobis ſemina ſcientiarum, natura ipſa incitamur ad conſiderationem tantæ uarietatis & pulcritudinis rerum. Expetunt aliqui uirtutem, etiamſi fructu carendum eſt, ut Scipio, Fabius. Expetimus gloriam, eſt enim res pulcra, præſtantia uirtutis, & hanc tribui nobis uolumus ſeu uerè ſeu falſò, ſunt enim homines natura ſuperbi, id eſt, ſui amantes, & ſeſe magni fieri cupientes. Deinde expetimus uitam, uitæ commoda & uoluptates. Vltra hæc non progreditur Cato. Non amat Deum, quia etiamſi ſtatuit eſſe Deum, tamen dubitat, utrum curet, exaudiat, & adiuuet nos, ſomniat ocioſum eſſe, nec bonum eſſe generi humano, certè in ærumnis non amat, quas ſi non eximat à materia tantum oriri caſu, ſed pœnas eſſe iudicat ſcelerum, certè Deum punientem nõ amat. Hinc multæ ſunt in Poëtis dubitationes de prouidentia, & reprehenſiones Dei, ut illud apud Virgi-

lium: Famamq; fouemus inanem. Ac ut in mente sunt tenebræ, ita multo magis uoluntas à Deo auersa est, & sicut nauis in Syrtibus agitata diuersis uentis, uariè iactatur, ita uoluntas uagabunda sine ordine ad alia atq; alia obiecta ruit. Ideo Paulus inquit: Qui secundum carnem sunt, carnalia sapiunt, uidelicet quæ recensui. Cato amat uirtutem, sed non propter Deum, nec statuit se curæ esse Deo, nec diligit Deum. Hic gradus obseruandus est, ut discrimen Philosophiæ et Euangelij fiat illustrius. Possent autem hæc multò copiosius exponi, sed hanc breuem commonefactionem huic commentario magis congruere iudico.

Iam igitur à scholis philosophicis discedentes, sciamus nobis ad lucem Euangelij uocatis, obiectũ esse uoluntatis, Bonum infinitum & cætera bona suo ordine appetenda. Vocamur enim ad instaurationem naturæ, & proponitur nobis Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, qui adfirmat, Deum non esse ociosum, sed uerè & horribiliter irasci peccatis, recipere autem in gratiam confugientes ad Filium, & exaudire eos, ac liberare. Hanc Euangelij uocem cum audimus, & fide amplectimur, ipse Filius Dei, λόγος æterni patris accendit lucem in

mentibus

mentibus noſtris, & Spiritu ſuo ſancto corda inflammat, ut in Deo acquieſcant & lætentur, diligant eum, & obedire ei incipiant, petant ſe ab ipſo regi, et rurſus fiant templum Dei. Nec ſumus Stoici, dicimus etiam res conditas à Deo bonas eſſe, uitam, cibum, potum, coniugium, politicam ſocietatem, ſed ordine hæc expetenda eſſe, & nequaquam anteponenda Dei uoluntati. Babylas ſenex Epiſcopus Antiochenus amat uitam, coniugem, filios. Et iam octogeſimum annum egreſſus erat, ne quis iuuenili audacia eum ſibi periculum attraxiſſe exiſtimet. Et tamen confeßionem Euangelij antefert ſuæ & filiorum uitæ. Stant grandæui parentes, nec tantum ſpectatores ſunt necis filiorum, ſed etiam confirmant eos in agone. Deinde tribus adoleſcentibus filijs interfectis in conſpectu parentum, ſenex pater trucidatur. Mater ſuperſtes mariti & filiorum corpora collocat in ſepulcra. Talia exempla nobis obiectorum gradus oſtendunt.

Sed unde oritur tanta morum atq; actionum confuſio? Dauid rapit alterius coniugem, quanquam uidet & intelligit facti turpitudinem. Hoc ita fit, diſßimilia obiecta cordi & uoluntati offeruntur. Ratio monſtrat uoluntati turpitudinem. Sed cor incenſum amore, qui eſt uiolentus, rapit

secum uoluntatem, nec recto iudicio obtemperet. Nam uoluntas etsi aliquo modo libera est, & certè posset Loco motiuæ imperare, ne attingeret alienam, tamen, ut fomes, facile accipit cordis incendia. Nunc igitur qualis sit libertas, dicendum est.

De libero arbitrio.

In dialecticis uocabula necessitatis, Contingentiæ, & libertatis declarantur. Inde sumantur enarrationes horum uocabulorum, quas profecto scire necesse est. Nunc tantum hoc dicam, Libertatem in diuina uoluntate, & in creaturis rationalibus, Angelis & hominibus, esse facultatem uoluntatis, quæ possit agere, ac non agere, aut sic, aut aliter agere. Sunt autem discrimina magna in Deo, beatis, & hominibus in hac uita, quæ alibi copiosius explicantur. Est igitur dissimilis modus agendi, quàm agit ignis, qui necessario calefacit admota corpora, nec potest suspendere actionem, nec potest aliter agere.

Primum autem constituendum est, certissimum esse, Deum, etsi bonus est immutabiliter, tamen esse agens liberrimum, & omnia quæ condidit, & quæ agit extra se, liberrima uoluntate condidisse, & agere, iuxta dictum Psalmi, Omnia quæcunq; uoluit,

luit fecit. Ac procul explodantur impij furores Stoicorum, qui fingunt, Deum alligatum esse ad causas secundas, nec posse aliter agere, quàm sicut cient causæ secundæ, & necessariò eum uelle & agere bona & mala, Honesta & turpia. Horresco referens, sed interdum hæc commemorari necesse est, ut adolescentes moniti fugiant & execrentur hæc diabolica mendacia, quæ sunt contumeliosa in Deum, & pernicioſa moribus, sed alibi hæc copiosius tractantur.

Iam constituta propositione, quòd Deus sit agens liberum, sciamus eum & angelos & homines in creatione ornasse his tribus bonis, quæ sunt in ipso optima, Sapientia uidelicet, noticia suæ legis, Iusticia, & Libertate uoluntatis:

Alius autem modus agendi conditus est in Sole, in igne, in aqua, & cœteris rebus, semper uno modo agentibus. Hoc discrimen uult Deus conspici, uult intelligi, sese esse agens liberum, uult & nostras actiones consilio regi. Disputatur ergo, an sit aliqua uoluntatis in homine libertas, & qualis sit. Est autem non difficilis explicatio amantibus ueritatem, non disputationum præstigias, ac diligentia necessaria est pijs, considerare discrimen Stoicarum

opinionum, & doctrinæ Ecclesiasticæ, in quam Stoica deliramenta Manichei et Valla impiè transfuderunt.

Sciendum est igitur, dupliciter detrahi libertatem humanæ uoluntati. Aut enim in uniuersum tollitur Contingentia omnium euentuum, non tantum humanorum, sed etiam aliorum, ut Stoici defendebant fatalem necessitatem. Aut non defenditur illa Stoica necessitas, sed tantum monstratur infirmitas humanarum uirium, quæ etiamsi utcunq; externas honestas actiones efficere possunt, tamen non possunt integram obedientiam legi Dei præstare, nec possunt tollere peccatum & mortem. Cum igitur duæ quæstiones sint, Altera de Stoica necessitate, altera de infirmitate uirium humanarum, breuissimè de priore respondeo.

Certissimum est, Deum nec uelle, nec adprobare, nec efficere, nec adiuuare peccatum. Sed uerè & horribiliter irasci eum peccato, ut Psalmus inquit, Deus non uolens impietatem tu es. Et Ioh 8. dicitur, diabolum mendacij patrem esse, et ex proprio loqui mendacium. Cum igitur Deus nec uelit, nec adprobet, nec efficiat peccata, manifestum est ea non oriri à uoluntate Dei, sed à uoluntatibus Diabolorum & hominum, qui cum boni conditi essent,

essent, suis uoluntatibus quæ erant liberæ, se sponte à Deo auerterunt. Est autem libertas fons & causa contingentiæ.

Nec *præuisio necessitatem adfert, nec cogit uoluntates diaboli et hominum, ut scelera faciant. Etsi igitur præuidet Deus Saulis scelera, tamen ea nec uult, nec adprobat, nec efficit, nec adiuuat. Sed permittit, ac metas constituit, quousq; permissurus sit. Ita in scholis dicunt, Deum determinare contingentia. Præuidet grassaturum esse Pharaonem in Israëlitas, & constituit metam, quousq; hunc furorem toleraturus sit, sicut hanc ipsam determinationem prophetæ multis uenustis figuris significant, ut Regi Assyrio dicitur: Ponam chamum in ore tuo et reducam te &c. Hæc breuiter recitaui, tantum ut moneantur iuniores, ut diabolica mendacia, quæ de necessitate fingunt Stoici, fugiant & constanter execrentur, quæ, ut antea dixi, et aduersus Deum contumeliosa sunt, & nocent moribus. Multi enim fiunt magis feri, cum cogitant ut seruulus Zenonis, se fatali necessitate peccare, & ut in Tragœdia dicitur: Fati ista culpa est, Nemo fit fato nocens. Longè rectius dictum est illud Euripideum, quod Plutarchus citat. Εἰ θεόι ἃ δρῶσιμ αἰσχρὰ, οὐκ εἰσὶμ θεοί.*

Nunc

Nunc de Ecclesiastica responsione dicam, quæ de infirmitate uirium nostrarum loquitur. Hîc primum manifestum est, homines non posse integram obedientiam legi Dei præstare, nec posse tollere peccatum et mortem. De his tantis rebus concionatur Paulus, cum queritur naturam hominum captiuam esse peccati. Interea tamen aliqua est libertas reliqua, quia Deus uult adhuc utcunq; intelligi discrimen inter agens liberum, & agentia sine consilio et sine libertate, ac uult sciri, sese esse agens Liberrimum, non alligatum causis secundis. Vult etiam, nos aliqua nostra uigilantia & labore actiones externas regere.

Est ergo hæc uera Regula. Certißimum est in hac infirma natura hominum, etiam in non renatis, adhuc reliquam esse libertatem regendæ locomotiuæ, id est, frenandi externa membra, ne faciant externa facta pugnantia cum lege Dei. Ac de imperatis actionibus magis perspicua est libertas. Vt, Scipio imperat membris, ne alterius sponsam attingant. Et in Scipionis uoluntate est etiam motus, quo aliquo modo uult illud honestum propter ipsum decus uirtutis. Illud uelle est actio Elicita, ut nominant, seriò uolens ciuile honestum. Sed actiones Elicitæ sunt obscuriores. Ideo de Imperatis lo-

tis loquamur, quæ ſunt externa pædagogia, & harum eſſe aliquam libertatem oſtendit manifeſta experientia.

Præterea Paulus expreſſe nominat iuſticiam carnis, quæ eſt uiribus naturalibus facere externa opera, congruentia cum lege Dei. Talem iuſticiam cum adfirmet eſſe poſſe in non renatis, manifeſtum eſt, libertatem aliquam eſſe uoluntatis, regentem externa membra. Item. Deus attribuit generi humano Magiſtratus & leges, ut externa membra frenentur, ſicut inquit Paulus, ſi uis non timere poteſtatem, bonum facito. Hæc tota gubernatio, & ipſa legum uox prorſus inutilis eſſet, ſi externa membra frenari non poſſent. Fatendum eſt igitur, aliquam eſſe libertatem. Idq; ſcire hommes utile eſt, ut cum ſciunt Deum præcipere hanc gubernationem externorum membrorum, & eam aliquo modo in noſtra poteſtate eſſe, & uiolationem diſciplinæ horrendis pœnis & in hac mortali uita puniri, & poſt hanc uitam, niſi fiat conuerſio ad Deum, ſeriò conentur externa membra frenare, & non ruant ut furioſi, aut ut beluæ, quò cœci adfectus impellunt. Sed ſint memores huius ueruſtiſſimæ concionis dictæ ad Cain: Sub te ſit adpetitus tuus, & tu dommeris ipſius.

Etſi

Etsi autem hæc disciplina non meretur remissionem peccatorum, nec est iusticia Euangelij, tamen sunt magnæ causæ quatuor, cur præstanda sit. Quarum prima est, quia Deus eam præcipit. Debent autem obedientiam Deo omnes creaturæ rationales.

Secunda causa est, ut uitentur pœnæ, quia ordine diuinitus sancito, atrocia delicta certò comitantur atroces pœnæ, & in hac uita mortali, & post hanc uitam, nisi fiat conuersio ad Deum, iuxta hoc dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, scortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Væ qui spolias, quia spoliaberis. Et Ecclesiastes in octauo capite inquit: Non bene erit impio, nec longi erunt dies eius etc.

Hoc iudicium Dei & quotidiana exempla ostendunt, quæ & extra Ecclesiam homines non Cyclopicos mouerunt, ut faterentur esse Deum mentem iustam & uindicem scelerum. Hinc dicta multa sunt. Vt Pindarus ait, Ixionem in rota clamitare, Discite iusticiam moniti, & non spernere diuos. Item Homerus:

οὐ γάρ σχέτλια ἔργα θεοῖ μάκαρες φίλεσσι.

Item.

Item. τεύχωμ ὡς ἑτέρῳ ἁ, ἓῶ κακὸμ ἤπαλε πεύχει. Item. οὐδεὶς ἀνθρώπωμ ἀδικῶμ τίσιμ οὐκ ἀποτίσει.

Tertia causa est, ut paci communi seruiamus, quia non tantum nobis nascimur. Sed uult Deus nos communi societati prodesse, & eam fouere, iuxta hæc dicta de dulcissima æqualitate, Diligas proximum, sicut te ipsum. Item. Quod tibi non uis fieri, alteri nẽ feceris.

Quarta causa est, quia hæc externa modestia est pædagogia in Christum, id est, Spiritus sanctus non est efficax in his, qui perseuerant in sceleribus contra conscientiam, quia in Iuramento diuino comprehenditur conuersio: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Has causas familiarissimè notas esse, & sæpè cogitari utile est, quæ quidem et copiosius alibi declarantur. Cum autem hæc gubernatio externarum actionũ sit aliquo modo in nostra potestate, uult Deus nos non ignauos & segnes esse, sed sua lege, & metu pœnarum, tanquam uinculis acriter cohercere membra. Et quidem hæc diligentia in renatis, & filium Dei uera fide agnoscentibus, placet Deo. Hæc sunt perspicua & plana, ac prosunt moribus & pietati rectè intellecta.

Cœterum

Cæterum hæc ipsa libertas seu facultas uoluntatis humanæ sæpè uincitur his duabus rebus, scilicet infirmitate naturæ nostræ, & diaboli insidijs. Ideo multi homines ruunt in manifesta scelera. Renati igitur cum & de his causis, & de auxilio doceantur in Euangelio, ueris gemitibus petant, se gubernari Spiritu sancto, ut Dominus inquit: Quanto magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Nunc de alio genere actionum interiorum dicam, quæ Deum intuentur. Voluntas humana non renata luce Euangelij et Spiritu sancto, non potest efficere uerum timorem Dei, firmam adsensionem, fiduciam ac dilectionem Dei, ueram patientiam & constantiam in magnis periculis, & similes spirituales motus, multo minus potest præstare perfectam obedientiam legi Dei. Testimonia nota sunt. Nam Paulus inquit: Qui Spiritu Dei ducuntur, hi sunt filij Dei. Et Dominus inquit, Sine me nihil potestis facere.

Cum Ioseph repugnaret uoluntati coniugis heri sui, ac regeretur timore Dei ac fide, concurrebant hæ causæ, uerbum Dei, filius Dei illustrans mentem & dans Spiritum sanctum, Spiritus sanctus mouens uoluntatem & cor. Et ipsa uoluntas

Ioseph,

Ioseph. Inchoandum est enim ab externo uerbo Dei. Mens cogitabat mandata Dei, promißiones & pœnas. In hac ipsa cogitatione intuens promißionem auxilij & mediatoris, petit se regi. Hîc ipse Filius Dei λόγος ἐν εἰκὼν æterni patris, sua luce mentem illustrat, ut Ioseph agnoscat æternum patrem, & sciat, se ei curæ esse & fore, & simul Spiritu sancto mouet uoluntatem & cor Ioseph, ut uelit Deo obedire, & auget timorem Dei, et uoluntas adiuta adsentitur Spiritui sancto, cohercet externa membra, non admittit illecebras. In hoc certamine sentit uoluntatem non esse ociosam. Non igitur tollit libertatem uoluntatis Spiritus sanctus, sed emendat & flectit ad Deum, iuxta dictum: ὁ δὲ ἔλκων τὸν βουλόμενον ἕλκει. Poterat uoluntas in Ioseph excutere Spiritum sanctum, sed adiuta reuocat se & obsequitur Spiritui sancto. Hæc de causis spiritualium actionũ tenere prodest, ut fidei exercitia discamus. Mens cogitet mandata Dei, & Euangelium, ac fide petat auxilium à mediatore, qui uenit, ut destruat opera Diaboli. Cum fide erigimur, Filius Dei uerè adest, & accendit uoluntatem & cor Spiritu sancto. Ita uoluntas adiuta repugnat uicijs, & cohercet externa membra, ne ruant contra rectum iudicium. Ac scimus nos non nostris uiribus uincere,

cere, sed auxilio domini nostri Iesu Christi.

Ex hac distinctione, quam recitaui, potest utcunq; intelligi, qualis adhuc sit libertas uoluntatis, quæ habet, ut dixi, suas metas, nec ita amplificanda est, ut obruatur doctrina de beneficijs filij Dei, & de promissione Spiritus sancti, Item de nostra infirmitate. Horribiliter enim hæc hominum natura languefacta est. In mente caligo est de Deo, & magnum chaos dubitationum. Voluntas auersa est à Deo, non timet Deum, non ardet fiducia & dilectione Dei, negligit aut tristi fremitu fugit eum. Corda uariè errantibus adfectibus alijs atq; alijs incenduntur, & uoluntatem secum rapiunt. Hæc ingentia mala homines feri & ebrij uoluptatibus leuiter curant. Sed Deus de magnitudine eorum nos commonefacit, mole pœnarum. Nam propter ea genus humanum subiectum est morti & horrendis calamitatibus. Expauescant igitur animi cogitatione nostræ miseriæ, sed rursus etiam agnoscant beneficia filij Dei, qui & delet peccatum ac mortem, & ut in hac uita colligi Ecclesia possit, etiam ærumnas huius uitæ mitigat, sicut inquit Deus in concione Hoseæ: Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum. Quasi dicat, Reprimam iram, quia

Natura

Natura hominum ſuſtinere eam non poteſt. Volo autem ſuperſtitem eſſe in hac uita Eccleſiam meam. Et filius Dei perpetuus ſacerdos ſtat in ſancto ſanctorum deprecans pro nobis, ut ſeruentur Eccleſiæ reliquiæ. Quare te fili Dei domine Ieſu Chriſte, crucifixe pro nobis & reſuſcitate oro, ut nos doceas, & apud æternum patrem pro nobis intercedas, & nos Spiritu tuo ſancto gubernes, colligas tibi Eccleſiam inter nos, ſanes uulnera noſtra, & pœnas immenſa bonitate tua lenias, cum teſtatus ſis adſumpta natura humana, te uerißimè diligere genus humanum. Et cum precatus ſis in agone tuo, ut dilectio, qua te æternus pater diligit, in nobis ſit, uidelicet ut nos quoq; ingenti amore & paterna σοργῇ complectatur, & ſeruet.

Vbi autem & quibus adpellationibus deſcribant Prophetæ & Apoſtoli uicia naturæ humanæ, diſcendum eſt in Epiſtola Pauli, ſcripta ad Romanos. Sed quia ibi quoq; legitur nomen Concupiſcentiæ, & eius uocabuli magnus uſus eſt in Eccleſia, addam breuem explicationem. quia Monachi inſulſè enarrarunt.

DE ANIMA.

DE VOCABVLO CONCVPISCENTIAE.

Deus condidit in homine potentias adpetentes, quæ si natura hominum integra mansisset, tantum ordinatos motus habuissent, & fuisset dulcissima harmonia potentiarum inter se congruentium. Vt regula est unica & æterna lex Dei *in mente, ita non aberrassent ab ea motus uoluntatis & cordis, seu adpetitiones sensuum. Imo* Deus *pariter & lucem in mente per filium, & Spiritu suo sancto motus suæ sapientiæ & iusticiæ congruentes sparsisset in corde.*

Fuissent igitur adpetitiones, fames, sitis, delectatio in usu, auditu, gustu, olfactu, tactu, dolor in offensione aliqua neruorum. Deinde in corde, & uoluntate, amor Dei, στοργαὶ *erga sobolem, parentes, coniugem, cognatos, beneuolentia erga omnes homines,* Odia *aduersus diabolos, lætitia acquiescens in* Deo, *spes uitæ æternæ. Et hæ adpetitiones & hi adfectus omnes fuissent ordinati, congruentes ad legem mentis, imo etiam accensi ab ipso Spiritu sancto, qui suas flammas miscuisset spiritibus natis in corde & in cerebro.*

Sed hæc suauissima harmonia turbata est lapsu primo-

primorum parentum. Nunc sunt quidem appetitiones & adfectus, sed uagantur & longè aberrant à lege Dei, & in non renatis non sunt accensi à Spiritu sancto. Vt uagatur amor in Dauide, etsi habet alias coniuges, forma, ingenijs, uirtute præstantes, tamen cor incenditur amore alienæ coniugis. Quare cum concupiscentia accusatur, non ita cogitandum est, naturam hominum integram, futuram fuisse sine adpetitionibus & sine adfectibus, & ut ita dicam, saxeam, aut ferream. Sed eo nunc accusari concupiscentiam, quia appetitiones & adfectus uagantur, sine ordine. Ecclesiastici scriptores cum uituperant concupiscentiam, plærunq; addunt nomen, malæ concupiscentiæ. Sed circumstantiæ ostendunt, ubi dicatur de uiciosa concupiscentia, ut Rom. 7. & alibi. In talibus locis intelligamus non ipsam naturam, qualis condita est, sed ἀτακτίαν in omnibus uiribus hominum, pugnantem uidelicet cum lege Dei.

Agrestis etiam imaginatio est, cum accusatur concupiscentia, tantum intelligere appetitiones, cibi, potus, libidinum, ambitionum. Longè maiora mala Paulus hac appellatione complectitur, uidelicet caliginem & dubitationes de Deo in mente, auersionem uoluntatis & cordis à Deo, uariè er-

rantia incendia adfectuum in corde. Deniq; totum hoc malum, quod tristissimis uerbis à Paulo nominatur Inimicicia aduersus Deum, cum inquit, sensus carnis inimicicia est aduersus Deum.

Ac discernantur substantia creata à Deo, & ἀταξία, quæ postea accessit, & est operis diuini deprauatio. Ex hac distinctione sumenda est explicatio argumenti, quod Iulianus Augustino obiecit:

Peccatum non gignit hominem.
Concupiscentia gignit hominem.
Non est igitur peccatum.

Ridicula & puerilis cauillatio est. Et tamen illos homines ingeniosos exercuit. Maior uerissima est, quia peccatum est horribilis destructio, non est quiddam gignens hominem. Minor igitur plane neganda est. Nam concupiscentia, quæ est ἀταξία & deprauatio substantiæ conditæ, nequaquam gignit, sed substantia creata à Deo gignit, quatenus reliquum est opus Dei, non prorsus extinctum, ut hebetes oculi uident, non quatenus sunt imbecilles, sed quatenus oculi natura reliqua est. In languido uentriculo fit concoctio cibi,

cibi, non quatenus uentriculus est frigefactus, sed quatenus est in eo reliquus calor natiuus. Ac multa similia argumenta ex hoc exemplo iudicari possunt, quæ dialectici explicant in fallacia Accidentis. Vt.

Omnes adfectus in hac imbecilli natura sunt uicioſi.

Amor filij in Abraham est adfectus.

Igitur est uicioſus.

Fallacia est Accidentis. Στοργὴ à Deo condita est ſuo genere bona, & imago amoris in Deo erga filium & erga nos. Sed in nobis ad naturale bonum accedit ἀταξία, quæ tamen in renatis aliquo modo corrigitur. Non igitur abijcienda est στοργὴ, ſed ordine regenda, ſcilicet, amore Dei.

Hanc breuem commonefactionem addidi, quia oſtendit uiam ſimiles cauillationes fanaticorum & ſuperſtitioſorum hominum explicandi.

DE ACCIDENTIBVS MENTIS ET VOLVNTATIS.

Neceſſe est conſiderare diſcrimen potentiæ cognoſcentis, et potentiæ appetentis, & Noticiarum

ac appetitionum, ut ſæpè dictum eſt. Sciendum eſt igitur, in potentia cognoſcente hæc tria eſſe: Noticias naturales, Actiones, & habitus. Ac uno communi nomine hæc tria adpellantur Noticiæ, uel Naturales, uel ſubitæ, uel habituales. Sunt autem gradus actionum, ut ſupra dixi, Simplicium agnitio, connexio, diuiſio, ratiocinatio, adſenſus, reiectio. Admirandi motus ſunt, & deſcribi non ſatis poſſunt, non enim cernuntur oculis, ſed ſimilitudine quadam, quales ſint exiſtimetur. Vt Architectus apud ſe imaginem & ideam ædificij pingit, ita mens cogitans aliquid, format imagines, quæ ſunt ipſi actus intelligendi. Harum cogitationum memoria, & crebra recordatio ac repetitio nominatur habitus, aut gignit habitum, id eſt, lumen quoddam in mente, quo reguntur actiones.

Sunt igitur in potentia cognoſcente hi habitus. Scientia. Ars. Prudentia. Fides. Opinio.

Scientia eſt noticia, in qua demonſtratio cogit nos adſentiri dicto.

Opinio eſt noticia, in qua probabili ratione mouemur, ut magis in unam partem inclinemus, quàm in aliam, & tamen ſuſpenſa ſit adſenſio ſeu adſeueratio, Vt, opinio eſt, futuros eſſe imbres, cum in piſci-

in piſcibus ad Iouem, Venerem, & Mercurium acceßit Luna. Eſt enim probabilis ratio ex harum ſtellarum naturis ſumpta. Sed interdum hæ propiores cauſæ impediuntur alijs præcedentibus cauſis potentioribus. Ideo aſſeueratio ſuſpenditur. Opinio eſt, Atticum fore conſtantem & perpetuum amicum Ciceronis. Eſt enim probabilis ratio, quia uterq; eſt honeſtus & ſapiens, & tuentur amicitiam uirtutis cauſa. Sed tamen adſeueratio ſuſpenditur, quia animi hominum ſunt mutabiles. Ideo inquit poëta: Omnia uertuntur, certè uertuntur amores. Et Plato inquit, φυσὶ ἐυμετάβολον ζῶον, ὁ φίλος.

Fides eſt noticia, qua adſentimur dicto ſine dubitatione, uicti teſtimonijs uel autoritate. Vt, credimus conſentientibus teſtimonijs hiſtoricorum, Octauium Auguſtum Romæ poſt Iulium Cæſarem gubernaſſe Romanum Imperium. In Prophetico & Apoſtolico ſermone fides ſignificat non ſolum adſentiri hiſtorijs, ſed etiam promißionibus Diuinis. Et huic adſenſioni reſpondent in uoluntate fiducia & lætitia, qua acquieſcit uoluntas in Deo, re bona oblata in promißione, ut acquieuit animus Gedeonis, cum ei promiſſa eſſet uictoria. Ideo in deſcriptione fidei ſic dicitur: Fides eſt ex-

pectatio rerum sperandarum, id est, fiducia quæ nititur promissione.

Cætera uocabula habituum declarantur in sexto Ethicorum, & in dialecticis. Hæc enim eò tantum recito, ut iuniores discernant potentiam cognoscentem & potentiam adpetentem, & diuersa utriusq; accidentia.

De noticijs naturalibus etiam sciant, has à Deo insitas esse mentibus humanis, ut sint testimonia de ipso, & sint rectrices uitæ, & semina artium, quæ sunt uitæ necessariæ. Ita ab animæ agnitione sunt initia artium. Sunt autem aliæ noticiæ naturales θεωρητικαὶ, quæ gubernant cognitionem, unde oriuntur Arithmetica, Geometria, & plæraq; aliæ doctrinæ. Aliæ sunt πρακτικαὶ, quæ gubernant actiones, unde leges de moribus & de gubernatione ciuili oriuntur, ut de principijs copiosius dicitur in Dialecticis.

In uoluntate seu potentia adpetente sunt hæc quatuor, Inclinationes innatæ, Actiones, habitus & Adfectus. Sunt autem dissimiles inclinationes innatæ, plurimæ sunt uitiosæ in hac misera natura, ut auersio à Deo, amor nostri inordinatus &c.

tus &c. Aliquæ ſunt ſuo genere bonæ, ut σοφιαὶ, καὶ ἀρεταὶ φυσικαὶ, quæ ſunt ſemina uirtutum ciuilium, ut in Ariſtide, Scipione inclinatio ad iuſticiam ciuilem & ad beneficentiam. Actiones propriæ uoluntatis ſunt uelle, nolle, ſuſpendere actionem, imperare potentiæ Locomotiuæ.

Frequentes actiones ſimiles pariunt habitus, id eſt, firmos impetus, quibus conſtantius eadem appetit aut fugit uoluntas. Hi habitus nominantur uirtutes, aut uicia. Horum deſcriptiones, partitiones, & diſcrimina ſumantur ex doctrina de Moribus, quæ ex agnitione animæ tanquam ex fonte oritur, quod conſiderare utile eſt. Hîc enim monſtratis animæ partibus, oſtenduntur actionum cauſæ. Mens iudicans & uoluntas eligens, ac imperans potentiæ Loco motiuæ. Et in mente lucent immotæ noticiæ, quæ ſunt normæ actionum, diſcernentes recta & non recta. Et ordo diuinitus ſancitus eſt, ut ad has normas, quæ ſunt radij ſapientiæ diuinæ in nobis, congruant actiones.

Adfectus ἤθη & πάθη aut ſunt actiones, ſed cum aliquo dolore coniunctæ, uel cum aliqua lætitia,

ticia, ut Irasci est nolle offensionem, & dolere propter læsionem, & uelle depellere lædentem. Hæc sunt in uoluntate. In serijs autem motibus copulantur cor & uoluntas. Nam cor propriè organum est adfectuum, quod cum uelut ictum seu uerberatum est ab insuaui obiecto, contrahitur & dolore adficitur propter læsionem, & fugit rem insuauem. In hoc dolore fit torrefactio cordis & incenduntur spiritus. Et quia in ira simul est conatus depellendi obiecti, exæstuant spiritus, & effunduntur in exteriora membra, ut quasi arment ea ad depulsionem.

Timere est in uoluntate nolle uenturum malum, cum dolore aliquo. In corde uerò ictus, ut ita dicam, quo cor contrahitur, fugiens obiectum, qua in contractione cor adficitur dolore, quia sic natura condita est. Vult enim Deus uitam esse læticiam, pœnas uerò uult esse dolorem & mortem.

Sed adfectus durabiles sunt similes habituum, sed ita, ut sint admixti dolores & læticiæ, quia uniuersalis definitio adfectuum hæc est:

Adfectus est motus cordis aut uoluntatis, sequens cognitionem, prosequens aut fugiens obiecta, quæ cum aut lædant naturam aut delectent,

semper

ſemper comitantur extremi motus, dolor læſa natura, uel ſuauitas ſeu læticia fouens naturam. Et ſunt hi motus in corde, conſtrictio aut laxatio, & in dolore ſimul fit torrefactio cordis & ſpiritum, & ſpiritus gignuntur languidius, Sunt igitur modici, atri, amari, & ſimiles picis fumis. In læticia autem fit laxatio, & uelut acceptio & attractio grati obiecti, ut cum lingua gratum ſaporem accipit, fit quædam dilatatio. Et quia læticia eſt uita cordis, gignuntur ſpiritus copioſius, & ſunt dulces & lucidi.

Amor in uoluntate eſt uelle obiectum, quod eſt aut uidetur bonum, cum quadam læticia. Et cum non eſt ſimulatio, cor aliquo modo congruit, aliàs magis, aliàs minus. Eſt igitur amor in corde laxatio, qua cor uelut accipit & attrahit obiectum, appetit enim coniunctionem cum obiecto, ut quaſi unum ex duobus fiat, ut dicitur, σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία. Et quia concurrunt illa uehemens attractio & læticia, cor & ſpiritus incenduntur. Ita ſimul amor eſt incendium cordis. Oritur autem plærunq; à ſimilitudine ſeu naturarum congruentia, ſicut in tota natura facile iunguntur ſimilia, calidæ res cito calorem aduenientem accipiunt, ut ſulphur citius accipit flammam, quàm lapis.

Lapis. Et Cicero uenustißimè dixit: Nihil rapacius est similium, quàm natura. Ita facilè accipit cor similia seu cognata. Hinc illud est ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον.

Odium in uoluntate, est nolle obiectum, quod est aut uidetur malum, cum dolore aliquo, aut etiam cupiditate depulsionis, quia est continuata ira. Et cum non est simulatio, cor aliquo modo congruit, aliàs magis, aliàs minus. Est igitur odium in corde contractio, & fuga obiecti. Et quia accedit dolor, fit torrefactio cordis & spirituum. Ita & odium est incendium cordis & spirituum, aliàs magis, aliàs minus durabile, sed hoc incendio non appetitur coniunctio obiecti, sed depulsio.

Hæc exempla utcunq; ostendunt, & ubi collocandi sint adfectus, & quales motus, & qualia incendia sint cordis & spirituum.

DE IMAGINE DEI IN HOMINE.

Sunt & in Sole quædam de Deo significationes. Nam & Deus est lucida essentia, quanquam spiritus est. Et ut in sole sunt substantia, lux, & calor, ita significari uidentur, æternus Pater, filius & Spiritus sanctus. Sed sol non nouit Deum, nec illam qualemcunq; similitudinem intelligit. Voluit autem Deus agnosci se ab humana natura, & talem esse imaginem Dei hominem, quæ similitudinem cerneret & intelligeret. Summa enim similitudo est, sapientiæ & iusticiæ congruentia, quæ non potest esse, nisi in natura intelligente. Et quia bonum est κοινωνικόν, uult Deus hæc sua summa bona homini communicare.

Indidit igitur menti humanæ noticias, quæ monstrant & esse Deum, & qualis sit. Nam similitudo uel dissimilitudo non posset iudicari, si prorsus nesciremus, qualis sit Deus. Et primus gradus similitudinis est, habere potentiam intelligentem & congruentem sapientiam.

Fuit autem ante peccatum talis imago, ut potentiæ omnes congruerent cum Deo. In intellectu fulsit

fulsit firma Dei noticia, uoluntas & cor congruebant cum Deo, id est, habebant rectitudinem & iusticiam congruentem cum Deo, Et libertas uoluntatis non erat impedita. Et in hac sua imagine Deus habitabat, daturus uitam sine mortem, & laeticiam perpetuam, si homo non excussisset Deum rectorem. Sic loquitur Paulus de Imagine, cum inquit ad Ephesios: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate uera. Ita uetustas loquitur de Imagine, ut nominet Imaginem, non tantum potentias animæ, ut Augustinus, sed tales potentias, in quibus luceat Dei noticia, & quæ congruant cum Deo, & sint domicilium Dei. Augustinus hoc modo accommodat potentias. In homine hæc tria præcipua sunt. Mens gignens cogitationem, Cogitatio quæ est imago rei cogitatæ, & Voluntas, in qua sunt læticia & amor. His potentijs aliquo modo discrimina personarum significari inquit. Patrem æternum significat mens gignens cogitationem. Imago formata cogitatione in nobis significat filium, Voluntas spiritum sanctum. Nam pater æternus intuens se, & cogitans, gignit uerbum, quod est Imago æterni patris, quæ est Filius Dei, qui dicitur & λόγος, & ἐικὼν æterni patris. Spiritus sanctus est substantialis amor & læticia procedens ab æterno patre, & filio.

& filio. Id congruit ad uoluntatem, & ad ſpiritus in corde, qui ſunt flammæ & inſtrumenta motuum.

Etſi autem uerum eſt, etiam has potentias ideo ſic conditas eſſe, ut multa nos doceant de Deo, & nunc quoq; etſi natura humana languefacta eſt, multa perſpicua teſtimonia de Deo & de prouidentia, ſumi ab anima & à noticia legis inſita nobis, & à conſcientiæ terroribus poſſunt: tamen anima ſine luce Dei, eſt corrupta Imago.

Iam hîc utrunq; conſideretur. Amor Dei erga nos, & noſtra calamitas ſecuta peccatum. Non caſu ex Atomis confluxit hæc hominum natura. Sunt enim manifeſta teſtimonia de Deo, radij ſapientiæ Dei in nobis adhuc lucentes, noticiæ de Deo, & immotum diſcrimen honeſtorum & turpium. Quantus autem amor eſt in Deo erga genus humanum, quòd transfudit in nos in fabricatione ea bona, quæ in ipſo ſunt optima, ſcilicet, naturam capacem ſapientiæ & iuſticiæ, deinde radios ſuæ ſapientiæ, & iuſticiam cum eo congruentem, libertatem electionis, uitam & lætitiam perpetuam? Et hæc bona ita nobis attribuit, ut ipſe ſimul uoluerit in nobis habitare, augere ſapientiam, & ſuis motibus nos regere. Quid poteſt cogitari maius?

Nunc uerò quàm dißimiles ſumus huic primæ fabricationi? Mens plena eſt caliginis & dubitationum de Deo. In uoluntate & corde ſunt multiplices flammæ errantium cupiditatum, & pugnantium cum Deo, iniuſti amores, & iniuſtæ odia. His flammis incitantur alij ad confuſiones libidinum, alij ad cædes, alij ad alia ſcelera. Imo diaboli inſiliunt in impiorum pectora, & impellunt multos, ut faciant horrendas diſſipationes in genere humano, ac uaſtitationes infinitas. Hæc tanta mala aſpiciamus, & ueris gemitibus deploremus. Rurſus autem patefactiones Dei intueamur, qui poſtquam in tantas miſerias incidimus, tamen immenſa bonitate nobis opem tulit, filio pro nobis deprecante. Hic igitur filius æterni Patris, Dominus noſter Ieſus Chriſtus nobis donatus eſt, ut fieret uictima pro nobis, & placaret iram æterni patris, & ſit ſacerdos perpetuus, colligens Eccleſiam uoce Euangelij, in qua decretum de reconciliatione patefecit, quod et ipſe, cum ſit λόγ& æterni patris, in mentibus noſtris effatur, & oſtendit nobis patrem placatum, ac Spiritum ſanctum effundit in corda noſtra, ut uero amore & lætitia cum æterno patre & ipſo copulemur. Ita reſtituitur in nobis uita & iuſticia æterna, & renouatur imago Dei uerbo lucente in mente, ut agnitio Dei

ſit clarior

ſit clarior & firmior, & Spiritu ſancto accenden=te motus congruentes cum Deo in uoluntate & corde. Sicut Paulus inquit ad Corinthios: Nos re=tecta *facie fulgorem* Domini *intuentes, uelut in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquã à* Domini *ſpiritu. Id eſt, In uera conuerſione agnito filio conſolante nos, & oſten=dente miſericordiam æterni patris, agnoſcimus iam præſentiam Dei, non manemus in dubitatione, an Deus nos curet, ſed magis magiſq; ad uerbi, id eſt, filij lucem transformamur, Spiritu ſancto con=firmante aſſenſionem, ſeu fidem in cordibus no=ſtris, & accendente motus congruentes uerbo. Et ut eſt ordo cognitionis & uoluntatis in nobis, ita* λόγ& *oſtendit reconciliationem patris, & Spi=tus ſanctus accendit læticiam, ut inuocare Deum poßimus, confirmat aſſenſionem, & accendit alios motus, ipſi congruentes. Ita Athanaſius inquit,* Renouari *imaginem ut filio ſimilis fiat, & in quo=cunq; Spiritus ſanctus eſt, in eo eſt per uerbum. Hæc in quotidiana inuocatione diſcenda ſunt, & conſideranda teſtimonia Dei nobis exhibita, & celebranda eſt uera gratitudine ipſius bonitas. Nomino igitur imaginem* Dei, *potentias animæ, ſed lucente in eis* Deo. *Eritq; tum demum perfe=cta imago, cum in cœleſti Eccleſia erit Deus omnia in omnibus.*

Omitto rixam, utra potentia præcellat, cognoſcens, an uoluntas. Pariter enim regere cæteras uires debent. Et quamuis uoluntas eſt præſtantior, quia uelut rex eligit deliberata aut reijcit, tamen non habet tyrannicum imperium, ſed recto iudicio obtemperare debet. Suntq; reipſa una ſubſtantia, Intellectus & uoluntas. Sed genera actionum diuerſa ſunt. Noticia Clodij manet in Ciceronе eadem. Sed aliàs amat, aliàs odit eum.

DE IMMORTALITATE ANIMAE HVMANAE.

Illuſtre teſtimonium eſt de uita perpetua ſecutura poſt hanc mortalem uitam, quòd filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus crucifixus & mortuus, poſtea reuixit. Et ne ſpectrum exiſtimaretur, familiaritate quadraginta dierum oſtendit Apoſtolis & alijs multis, ſe uerè reuixiſſe, & rurſus uerè copulatam eſſe animam ſuo corpori, in quo antea uixerat. Ac ut pluribus exemplis fides confirmaretur, ſimul & alijs multis, qui mortui fuerant, uita in corporibus reddita eſt. Et conſentaneum eſt, præcipuè primos parentes, Adam, Heuam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, & multos ſimiles, fuiſſe comites illius triumphi

phi Christi, ac sæpè Heuam & alias matronas assidentes apud Mariam & sororem eius, narrasse sui temporis certamina, & mirandas liberationes.

Intueamur igitur Christum in hac Apostolorum consuetudine, postquam ex morte reuixit, dulcissimè cum eis colloquentem, & testimonia de sua uita ostendentem, ac multa docentem. Et adiungamus ad hoc exemplum, doctrinam, in qua planissimè adfirmat ipse, redditurum se esse uitam in corporibus omnibus hominibus post mortem, & eos qui in hac mortali uita ad Deum conuersi fuerunt, in omni æternitate deinceps in cœlesti Ecclesia ita uicturos esse, ut Deum coràm intueantur & fruantur eius sapientia, iusticia, & lætitia, & uicissim eum grati celebrent.

Sed eius Ecclesiæ cœlestis nemo ciuis erit, nisi prius in hac mortali uita ciuis fuerit huius Ecclesiæ, in qua sonat uox Euangelij, & conuersus fuerit ad Deum, antequam ex hac uita discederet. Tunc enim tradet filius Dei regnum patri, id est, adducet ad æternum patrem omnes conuersos, ostendet eis æternum patrem, quia collectio Ecclesiæ in hac uita fit per filium Mediatorem, qui conseruat ministerium Euangelij, & cum uoce

Euangelij effundit in corda credentium Spiritum sanctum, & simul interea est sacerdos & deprecator assiduus pro Ecclesia. Postea uerò post resurrectionem, non tantum per uocem Euangelij agnoscemus Deum, sed coràm intuebimur eum, cum erit omnia in omnibus. De hac dissimilitudine regni Filij & regni patris loquitur Paulus. Tunc uerò reuocatis ex morte omnibus ad iudicium, abijcientur in horrendos & æternos cruciatus omnes diaboli & omnes homines, qui non conuersi sunt prius ad Deum.

Hæc doctrina patefacta à Deo certis testimonijs, propria est Ecclesiæ, et semper inde usq; à primis patribus in Ecclesia sonat, ut concio Henoch recitatur in Epistola Judæ. Ἰδοὺ ἦλθε κύριος ἐν ἁγίαις μυριάσιν αὐτοῦ, ποιῆσαι κρίσιν κατὰ πάντων, καὶ ἐξελέγξαι πάντας τοὺς ἀσεβεῖς, περὶ πάντων τῶν ἔργων ἀσεβείας αὐτῶν. Et ostendit Deus testimonia uenturæ uitæ, cum spectantibus alijs uiui in cœlum translati sunt Henoch, & Elias. Ac in Prophetarum concionibus subinde repetita est hæc doctrina, & clarissimè uoce filij Dei proposita, & ipsius testimonio, cum reuixit, confirmata est. Hanc igitur doctrinam teneamus, & firma adsensione amplectamur.

ſtamur, & tota uita noſtra intueatur illud uerum iudicium, quod poſt mortem ſubituri ſumus omnes, & adſentiamur uoci Euangelij, & in uera conuerſione ad Deum confugiamus ad filium Dei, ac petamus, ut corda noſtra accendat Spiritu ſuo ſancto, ut ad illud iudicium initia iuſticiæ æternæ adferamus. Nam ut antea dictum eſt, prorſus neceſſarium eſt in hac mortali uita conuerſionem ad Deum fieri, ſicut ſcriptum eſt, Superinduemur, ſi tamen non nudi reperiemur.

Sed alia quæſtio eſt, an humana anima ſit ſpiritus ſeparabilis à corpore, & ſuperſtes eum diſceßit à corpore, qui intelligat, & adficiatur læticia aut dolore. Id confirmant hæc dicta. Matthei 10. Chriſtus diſertè inquit: Corpus occidunt, animam uerò occidere non poſſunt. Ad latronem inquit: Hodie eris mecum in Paradiſo. Si exhalans anima diſſiparetur, certè non eſſet unà cum Chriſto. Eſt igitur Spiritus ſuperſtes. Et cum ſit ſpiritus, non eſt ocioſus. Ac paradiſus ſignificat non Epimenideum ſomnum, ſed uitam beatam, in qua ſparſit Deus in mentes nouam lucem, & habitat in pectoribus, ut ſint iuſta & plena læticiæ, uidelicet congruentia cum ipſo. Et hanc dulciſſimam uocem ſinguli ad nos pertinere ſtatuamus. Hunc enim doctorem prope pendentem

in cruce Filius Dei nobis proponit, qui cum Apostoli consternati conticuissent, unus incipit fungi Apostolico munere, & concionatur de sublimi. Nec enim id spectaculum ἄσημον esse putemus. Duo ibi latrones adiuncti sunt filio Dei, qui significant totum genus humanum reum esse mortis propter peccata. Cumq; filius Dei morte sua placauerit æternum patrem, pars generis humani contemnit hoc beneficium, ac insuper filium Dei odit, ac furenter contumelijs adficit. Intueantur ergo hoc spectaculum Tyranni, hostes Euangelij, & eorum satellites, & se ipsos in hac furca pendere iam cogitent, cui adfixus est latro, qui maledicit filio Dei. Sed pars est hominum, qui beneficium filij Dei accipiunt. Ac hi quidem agnoscunt, se pœnam meritos esse, ut alter latro, sed tamen confugiunt ad filium Dei. Per hunc sciunt se liberari à peccato & à morte, ut hic latro petit liberationem à peccato & ab æterna morte, agnoscit hunc, à quo petit opem, quanquam morientem, tamen non prorsus extingui, sed ita uiuere, ut etiam reddat alijs uitam æternam. Audit igitur concionem de futura uita. Hodie mecũ eris in paradiso. Hac uoce intelligit deleri sua peccata, & sibi donari uitam perpetuam. Et quanquam hic pendet laceratus & semiuiuus, tamen filio Dei ueros honores & gratos cul-

pos cultus tribuit. Cum conticuisset tota Ecclesia, cum Apostoli dilapsi essent, hic concionatur, hunc socium supplicij regnaturum esse, & redditurum esse hominibus uitam perpetuam. Inuocat eum tanquam Dominum, per quem placatus sit Deus, & uitæ instauratorem. Addit & alium cultum maximè necessarium in Ecclesia, defendit gloriam filij Dei, aduersus maledicum latronem.

Admonet igitur pios hæc imago de multis rebus. Nam & pij omnes se ipsos in hac furca pendere existiment. Propter peccata sumus coniecti in mortem & uarias calamitates. Nec liberari aliter possumus, nisi per hunc filium Dei. Hunc fide inuocemus, doceamus alios de eius beneficijs, propugnemus eius gloriam aduersus maledicos. Hos cultus quamuis semiuiui ac lacerati præstemus, ut singulis & ipse dicat: Hodie mecum eris in paradiso. Tantæ res cum in illo colloquio agantur & significentur, infigamus hoc dictum animis, & autoritatem eius grauissimam esse ducamus, quod quidem satis perspicuè testatur, animam hominis esse spiritum separabilem ac superstitem. Non enim una conuersari posset, si anima tantum esset κρᾶσις, aut halitus dissipatus.

Apud Lucam recitatur historia de Lasaro in

ſinu Abrahæ, in qua etſi figuratè nominantur ſitis, digiti, lingua, tamen ſumma narrationis haud dubie hiſtorica eſt.

Et Petrus *inquit, Chriſti mortui ſpiritum concionatùm eſſe ſpiritibus in carcere.* Ergo *ſentit animas eſſe ſpiritus ſuperſtites.* Expreſſè *etiam ſcriptum eſt, Chriſtum cum Moiſe collocutum eſſe, cum tamen narratio in Deuteronomio dicat, Moiſem mortuum & ſepultum eſſe.* Et Paulus *inquit, cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto.* Et Do*minus refutans Zadduceos inquit.* Deus *eſt Deus uiuorum. Cum igitur ſit Deus Abrahæ, uiuere eum adfirmat, quod quomodo uelit aliquis ſimpliciter interpretari, non uideo, niſi fateatur animam eſſe ſpiritum ſeparabilem & ſuperſtitem. Hæc ſimpliciora ſunt, & pijs mentibus utilia.*

Philoſophi nihil dixerunt de reſtitutione corporum, quam uox diuina planiſſimè patefecit, ſed ſi qui exiſtimant poſt mortem aliam uitam ſecuturam eſſe, cogitant tantum animas ſuperſtites eſſe, quod ut conſentaneum uideatur, aiunt eas oriri à cœleſti natura, non ex elementis. Et Plato *excellentes & heroicas animas, non nimium pollutas contagio corporum, arbitratur tanquam puriores ſurſum euolare, cœteras ignauas, & uoluptatibus corporum contaminatas humi uagari*

circa

circa sepulcra, & has iudicat esse spectra, quæ sæpè cernuntur.

Ac scriptores Ethnici expressè aiunt, se eo moueri, ut existiment animas hominum post mortem superstites esse, quia certissimum est, multa spectra passim uagari, & sæpè audiri ac conspici, sæpe etiam colloqui cum hominibus. Nec tantũ ex libris exempla sumantur. Vidi ipse quædam, & noui multos homines dignos fide, qui adfirmabant, se non tantum uidisse spectra, sed etiam diu cum eis collocutos esse. Existimabat autem uetustas plæraq; , hominum animas esse. Plutarchus etiam oraculum citat, quod respondit Coraci Naxio. Οὐχ ὅσιόν ϑεῷ ψυχῆς καταγνῶναι ϑάνατον.

Recitantur autem hæc tria argumenta à Platone, Xenophonte & Cicerone.

Primum. Natura non orta ab Elementis non corrumpitur.

Anima non est orta ab Elementis.

Non igitur extinguitur propter corporis interitum.

Minorem sic confirmat: Impossibile est in natura elementari oriri noticias, & quidem uniuersales, & de rebus non corporeis, de Deo, de numeris, de ordine, de discrimine honestorum et turpium. Has autem noticias tenent animæ hominum

etiam

etiam non accepta doctrina. Ergo neceſſe eſt eas, non ab elementari, ſed ab alia præſtantiore & perpetua natura oriri. Hoc argumentum ait Plato uideri poſſe ſufficientem demonſtrationem, niſi gloriari odioſum eſſet. Καὶ ἐι μὴ ἐπαχθές ὄϛιν εἰπεῖν, πάνυ ἱκανῶς ἀποδεδειῖχθαι. Quoquo modo autem de hac confirmatione Platonica ſentiet aliquis, tamen hoc manifeſtum eſt, illas inſitas noticias non fallax teſtimonium eſſe, quòd animæ non caſu ortæ ſint, ſed magna arte ab æterna mente architectatrice conditæ ſint. Ideo & noticia conditoris lucet in nobis. Et non fruſtra inſitum eſt diſcrimen honeſtorum & turpium, & uindex dolor in conſcientia ſceleris. Erunt igitur poſt hanc uitam in cruciatibus ſcelerati, præſertim ſi in hac uita non ſint puniti. Hæc certe ex illis naturalibus noticijs uerè raciocinari poſſumus.

Secundum argumentum eſt. Videmus in hac uita multos honeſtos homines iniuſtè à latronibus & tyrannis interfici, & ſæpè in hac uita latrones & Tyrannos non puniri. Cum igitur ſit prouidentia, neceſſe eſt, ſequi aliam uitam, in qua bene ſit bonis, & mali ſupplicijs adficiantur. Impoßibile eſt enim optimam generis humani partem, tantum ad exitium eſſe conditam.

Hoc argumentum fit multo illuſtrius & firmius conſideratis

conſideratis exemplis in Eccleſia. Impoßibile eſt negligi à Deo hos, quos antea illuſtribus teſtimonijs oſtendit ſibi curæ eſſe, ut Chriſtum, Baptiſtam, Paulum Deo placere manifeſta teſtimonia oſtendunt. At hi interficiuntur. Neceſſe eſt igitur ſequi aliud iudicium, in quo diſcernentur boni à malis. Et quidem hæ ipſæ neces ſanctorum ſunt teſtimonia de futuro iudicio. Cum Abel interficitur, hoc horrendo ſpectaculo Deus & commonefacit parentes, hæc corpora propter commune peccatum mori oportere. Et tamen antea deſtinxerat iuſtum Abel ab iniuſto Cain, & intelligebant parentes, non fruſtra fieri hanc diſtinctionem, ſed eſſe & fore aliquam Dei Eccleſiam, in qua ſerpentis caput conterendum eſſet, id eſt, in qua abolito peccato, etiam uita reſtituenda eſſet. Diſcebant igitur in hoc ipſo ſpectaculo, ſecuturam eſſe aliam uitam, & iudicium.

Erat & antea dictum ad Cain, Si malè feceris, peccatum tuum quieſcet, donec reuelabitur, q. d. Etiamſi aliquandiu pœnæ differentur, & multi ſecuri furenter cumulabunt ſcelera, nec metuent Deum, tamen ſciant tandem iudicium ſecuturum eſſe, in quo horribiliter patefiet ira Dei aduerſus ſcelera. Id nominat reuelari peccata. Hæ concliones ab illis primis patribus Adam, Seth, Henoch &

alijs

alijs luculenter enarratæ sunt, & in exemplo Abel & similibus recitata tota doctrina de Ecclesia, quæ sit, qualis sit, cur subiecta sit cruci, quale iudicium secuturum sit, & quomodo expectanda sit restitutio uitæ. Ac nos quoq; adsensionem de secutura uita confirmemus, consideratione necis sanctorum, quæ est illustre testimonium, ostendens secuturam esse aliam uitam, in qua discernet Deus Baptistam, & Heroden, Paulum & Neronem, &c. Hæc consideratio in bonis mentibus ualde confirmat ueram sententiam. Sæpè ego ipse intuens magnas calamitates piorum hominum, hac cogitatione erigor, nequaquam consentaneum esse, tantum eos ad has miserias conditos esse.

Tertium argumentum Cyri est apud Xenophontem, sumptum à magnis cruciatibus conscientiæ in sceleratis. Post scelera sequitur ingens dolor, etiam in audacissimis, qui excutere eum conantur. Vincit tamen quædam uis arcana, quæ punit sceleratos. Est igitur numen, quod discernet iustos & iniustos. Nequaquam enim hæc casu fieri possunt. Deniq; impossibile est casu in mentibus hominum esse & manere discrimen honestorum & turpium. Id frustra sanxisset Deus, nisi pœnæ scelerum sequerentur. Multi autem in hac uita

uita non puniuntur, secuturæ sunt igitur pœnæ post hanc uitam. Hæc argumenta cogitare prodest, sed tamen sciamus patefactiones diuinas intuendas esse. Has amplectamur, & adsensionem in mentibus nostris diuinitus confirmari petamus.

Longum esset autem recensere philosophorum imaginationes. Stoici dixerunt animas discedentes à corpore, quia sint igneæ naturæ, diutius quidem superstites esse, & aliquot seculis in hoc aëre uolitare, sed tamen tandem ceu fumos dissipari. Aristotelem existimo, ut alios plurimos, eruditos et modestos homines, magis hoc sensisse, animas hominum non prorsus extingui post corporum interitum, etiamsi multæ dubitationes ceu uenti hanc eius cogitationem turbarunt. In tertio libro de Anima sic de intellectu agente loquitur, ut existimari possit, maluisse eum hoc sentire, illum præstantiorem igniculum in anima hominis non extingui cum corporibus. Et alibi discernit mentem ab anima uegetatiua & sentiente, inquiens: Περὶ δὲ τοῦ νοῦ οὐδέπω φανερόν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀίδιον τοῦ φθαρτοῦ.

Sed

Sed philosophorum dubitationes relinquamus, & caliginem animarum nostrarum, quæ peccatum secuta est, deploremus, & maiore cura uocem diuinam de uoluntate Dei, de beneficijs domini nostri Iesu Christi, & de restitutione uitæ perpetuæ concionantem audiamus, & ipsum filium Dei oremus, ut adsensionem in mentibus nostris confirmet.

Oro igitur te fili Dei domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis et resuscitate, qui es uiua & integra imago æterni patris, & dixisti, uenite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, renoua imaginẽ tuam in nobis tua luce, doce & guberna nos Spiritu tuo sancto, ut æternum patrem tuum, te, & Spiritum sanctum uerè inuocemus & celebremus, ac semper in his regionibus Ecclesiam æternam tibi colligito, et serua ac regito cœtus docentium & discentium doctrinam Ecclesiæ necessariam, & protege hospitia Ecclesiarum propter tuam gloriam. Tibi nota est ingens infirmitas nostra, & eo massam generis humani perpetuo & immutabili fœdere tibi copulasti, ne totum genus humanum funditus periret. Nos igitur miseros & imbecilles, sed pendentes de tuis humeris, clementer gesta, & seruato. Amen.

Δόξα τῷ θεῷ.

Bülling. Dnad. 4 sent. x.

De poss. Chri religiosis corpibz
& anima.

Anima separata a corpore no destituit
quod sua, sed retinet id corpus ipsa
in sua potentia essentia suppti, inuo
talis est ad ois conuenientis sibi partes.
Thom in homine nec ē anima ipsa
hic aut ille existens sed ipsum hic homine
aut illum a corpore. — Christ ex Lazaro
mortuo, suscitato absentia Lazari
existente extra non existente: Lazarum
ipsum ab alium existentem suscitauit quidem,
sed Lazarum adhuc in sui ipsius quidditate
existentem, sed Lazarum adhuc in sui ipsius
existentia ex resuscitauit, in existentia
Lazari id efficiens, ut existeret Lazarus
qui mortuus fuit. Lazarus. Ita etiam anima
separata a corpore suo existit hic aut
alibi non existens illic in corpore suo, inuo
ipsa corporis existentia, existens in
se efficiens unum & aggr.

Eccles. 12.

Remitte me priusquam ingrediar illuc unde non revertar.

Psal. 26.

Non disperdas cum impiis, Domine, animam meam, et cum sanguinibus vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt.

Sap. 3.

Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.

Apocal. 14.

Beati mortui qui in Domino moriuntur.

Heinr. Bullingers
animam hortatio
de fruitis

Anima & substantia spiritualis, corpi hu-
mano a deo infusa, vim vivificam ha
ipsum animans & dirigens, separata
a corpore non interit, sed immor-
talis aeternum vivat.

Cassiodorus de spiritu.

Anima hominis & a deo creata, spiri-
talis appellatur substantia, sui corporis
vivificatrix, rationabilis, libera & im-
mortalis.